

Pomiliones

[Title page]

{page 1} {p. A}

IOAN. BAPTI.
Chrysogoni Folengii
Mantuani Anachoritae
Dialogi, quos Pomiliones vocat.

THEOPHILI
Folengii Mantuani
Anachoritae Varium poema,
et
IANUS.

{page 2} {p. A i v} Dedication

Cum enim varios ad amicos hosce meos destinassem Pomilios, decrevi tandem, Alberice eruditissime, cum ob multas egregias tui animi dotes, tum quod semper mihi visus es dignus, in quo uno maxime, ego totus collocarer, eos omnes in te uno conquiescere. Ferreus quidem est, qui perinde, atque ego facio, non te amat, id est plus quam proprium caput, aut Cor. Porro debilius forsitan, quam quod emunctissimum tuum iudicium expetere censeatur, videbitur munus. Quid putas? Pomiliones sunt: et hi quidem in tyrrheni litore reperti. Verum a Conaro exituri erant, Sed vetuit Vulcani rabies, ac furor. Vale, et me, ut facis, dilige.

{page 3} {p. A ii} Preamble

PROHOEMIUM

CHRYSOGONUS, THEOPHILUS

[CHRYSOGONUS:] Agedum ò Theophile postquam infamibus vix tandem superatis Acroceraniis, hasce quietissimas nacti sumus sedes, antiqua obliviscamur tempora, atque orbi universo commonstremus, necque ignavia neque socordia, sed melioris vitae studio, te a principum consuetudine, me a pyraei negociis desivisse.

THE. Sine, te quaeso, etiam num sum lassus e navi, atque admodum nauseo.

CH. Age, hoc stomachi, quidquid est obdormiscamus. Somno enim aiunt facile sedari nauseam.

TH. Scilicet perfractis malis, ab orisque extrema convulsa anchora, quis nisi demens in rimoso dormit navi? Portum, quippe nondum passis, ut dicitur, velis subivimus. Evigilandum igitur esse censeo, ne, ut nos Christus Jesus admonet, in tentationes prolabamur.

CH. Nihil potius. Nanque animo sub perturbationum mole laboranti, nihil infelicius accidere potest, quam si in miseris positus, obstupescat omnino. Etenim bilioso consoporato veretro somnus forsitan mederi potest: at animus contra, laborando, vigilando, agendo, sese a foedis commotionibus vendicando, beneque consulendo, sanior fit, et ad divina percipienda capax magis. sed metaphoraeparendum fuit.

THE. Eam tandem esse veram illius hominis gloriam

{page 4} {p. A ii v} Preamble

ac laudem existimo à Chrysogone, qui, cum iniuriarum meminerit, despuat virus illico, nec sinat in praecordiis morbum insensescere. Sed praeterita, sive bona, sive mala extiterint, oblivisci posse penitus, esset hoc quidem ab homine mentem tolli, atque animum a sede removeri. Habeat ergo claudus ille nostram, cum suis male conciliatis chaonibus pauperiem, depredetur, expilet, grassetur, ut suus inhumanus est mos, in hospites: nobis certe alio est, scilicet ut ait Silius, grassandum ad clara periclis. Itaque, ut mones, ad quaevis, ut facilis mea est natura, sive aedendum, sive reponendum sit aliquid, praesto sum.

CH. Tantum abest ut Baldum repetas. Iam plus nimio, mihi crede, eius generis lusum est musis.

TH. Sic ingenii ferociae tum, cum vix licuit, consulendum fuit, studio videlicet ignobilis oci. Disputet tamen. proinde crassas illas Hamadryadas oilm* [olim] iam submovi limine. Atque deinceps, Dispeream si aliud quam Christum carmine dicam. Et tu?

CH. Egone? Is sum, me novi quidem, quem plus lachrymae, quam calamus, solari debeant. Placent, fateor, peritorum libri. Placet identidem, cum ab aris superest ocium, scribere aliquid, non quod mihi, ut ait Secundus, aeternam pariat gloriam, et splendorem: sed quod inani me, nescio quo, dum per Apologias vagatur stilus, pascat solatio. Mirum quam turpiter obsolescant mortalium ingenia, nisi quotidie a nobis expoliantur, atque a rubigine, assidua reparentur exercitatione. Attamen, ut ut facta sunt, tua ad aedenda modo futura sint incitamenta, prodeant. Verum nollem, quod ad orationis filum

{page 5} {p. A iii} Preamble

attinet, non nihil lectorem moveri. nam aliud est meditata, assiduaque lucubratione elaborata aedere, aliud vero simplici modo dicendi, ut se res habet, ad amicos scribere subita, ac parum examinata.

Propterea mihi accidit, quod plerisque graecis maxime, in hoc scribendi genere accidisse legimus: quibus eo visus est dialogus suavius suo posse progredi lepore, ac sale, quo fuit pressius, familiarius, et variis quibusdam intertextus Enthymematis, exaratus. Ex quo sit, ut in iis meis Pomilionibus virtutum magis encomia, et nuda interdum elogia vitiorum, quam diffinitiones, sint enarrata. Quamobrem qui purgatori sunt nare facile odorare poterunt, hinc solitudinum, illinc coenobiorum, addo et politicam quandam potius Ethicam, aut Paraenesim, seu malit, quod magis placet, mediam appellare Comoediam: quam exacta rerum Axiomata contineri.

Et rursus quia saepe, etiam nunc, fit contentio inter discipulos domini, quis eorum maior sit in regno coelorum, additum est de unico ad beatitudinem studio, et itinere. Atque subinde in calce admonentur hi, qui ad nova, nesciunt quae, excitanda propensiores sunt, quam ut vetera collapsa, alioqui sancta, ac laude digna instaurent. Quid? candidus lector opinetur

velim ó Theophile, nostras hasce musas a Massensium Minerva, non ab illa de Iovis vettice, quod aiunt, decussa, profectas esse.

Caeterum nulla nobis quaestio cum nimium nasutis, ac stomachosis. Sed tamen antequam nostra oia in amicorum manus pervenire contingat, diligentissime a nobis putanda sunt, atque adeo ad me-

{page 6} {p. A iii v} Prohemium

liorem cultum repurganda, ut eo minus displiceant, quo noverit amicus lector, haud quaquam nobis defuisse vel studium, vel labor, licet defuerit tum librorum copia, tum censor is, quem non pigeat aliorum scripta disquirere.

THE. Quid censor? nihil fallacius, crede mihi, eorum iudicio, qui huius generis laudem sibi arrogant: et qui se potius illorum numero haberi volunt, quorum iudicio extinctus est Socrates, quam ut veri sint, candidique iudices in alienam immortalitatem, quae, ingeniorum industria maxime, comparari solet. Vis apte atque ornate ea quae dicenda sunt, dicere? lege prius optimos authores, et tuum postea tu solummodo, cum scribis, iudicium consule, atque ingenium.

Tu enim liberorum tuorum parens es, caeteri alieni. Quod si tamen exterorum arbitrio meus subiiciendus est foetus, ac veluti informis ursus aliena limula effigiandus, diligentiore te, hac in solitudine praesertim, inveni adhuc neminem.

CHR. Quin immo tu alterum, ut ait Mitio terentianus, ego item alterum: curemus aequam uterque, partem. Illud vero inhumanum prorsus Demeae. Quando, inquit, tuum non curo, non cura meum. Porro licet meum in versibus iuxta soleat esse iudicium, et gustus, uti sus ad Amaracum, aut ad fides Cocyx: tuos tamen libenter audiam, et si non propter aliam honestiorem causam, at saltem ut salubriter ociemur.

honestandam igitur nostram hanc esse solitudinem arbitror, partim sanctissimis animi cogitationibus, quarum quidem accessu a caeteris semoti cupiditatibus,

{page 7} {p. A iiiii} Prohemium [ends]

facilius abducamur a sensibus, id est consuescamus mori: partim Musarum numeris abstergeticis, a me vero solutioribus decorandum, Sed, ut tandem exordium fiat, meos age iam Monogrammos excipe.

Epistle to Niccolò Morosini

AD R. NICOLAUM MAUROCEnum Venetum, Anachoritam. Chrysogo. Folengius Anachorita. S. D.

Simul atque huius precarii recessus, gravissime Nicolae, montem musarum profecto coelestium domicilium ascendi, mirum quam blande arriserint omnia: sed nil tantum, quantum altae molis dirutae nobilissima vestigia, reliquiae scilicet monachorum tam silentes olim incolentium sedes. Discrutior animi, fateor, si quando has eversiones pererrans, antiqua ex ruinis conicio aedificia. Frugi forsitan hic erat penus: Illic triclinium. Castissima hinc sita erant dormitoria, illinc vestiaria cubicula. Eximii etiamnum podii perfractae ab uno latere extant columnellae miro simplicitatis artificio elaboratae: ab alio Cryptoporticus, humo, veterique haedera, ac Buxo oppleta. Quid de informibus aris loquar? Quid de

conclavium solitudine? Quid de coelesti, in quo virtutum ludi, Sphaeristerio ab imis pene convulso fundamentis? Nobilissimum heu cecidit Illium. Adhuc enim saxa ipsa prae se ferunt antiquam monachorum sanctitatem. Flent pumices. Illachrymant bases. Et non nihil culminis tigna cum

{page 8} {p. A iii v} Epistola; De profundis

ipso caementitio pulvere, sui Benedicti lamentantur absentiam. Lamentamur et nos, nitrososque, quod solum datur, dissaviamur parietes. Caeterum cum nocte quadam in desolato templo, ut meus est mos, nescio quid altius cogitarem, quantum scilicet mortalibus vetustas afferre soleat oblivionis, et exitii: occurrit animo omni aevo ac vetustate perniciosior rerum labes. haereticum dico. Testis enim est Germania: cuius ampla, et numerosa iam solo aequata sunt Monasteria. Pauca loquor. Tota enim labat Europa: et fere orbis cunctis nutat. Hoc mecum igitur dum reputo, frigidiusculas hasce, et queribundass [sic], pro rei christianae incolumitate preculas exprimere libuit: nimirum cui neque vitulus, neque agnus in stabulo mihi est, turturis saltem pullus, et is implumis, non desit. Vale. Christi spiritus tecum. In surrentinis hortis. Calen. August.

De profundis

DEI ECCLESIAM AB HAERETICIS circumventam, Chrysogonus anachorita: sub titulo Psalmi centesimi vigesimi noni, Deo Commendat.

DE PROFUNDIS aerumnarum calamitatibus, populus tuus pater pientissime, atque idem iustissime arbiter, ad te incircumscripsum totius pietatis pelagum suspirans clamat. Is est enim quem syncerissimus ille tuus, inscrutabili celsitudini aequalis filius, multorum transfugarum vix residuum, in unum congegessit fasciculum: fasciculum inquam amarissimi fellis,

{page 9} {p. A v} De profundis

et insuavius absinthii. Erubescimus enim, confundimurque suspicere. Quo quidem ausu, corda, haud cor unum, multimoda flagitiorum labe impura, ad te purissimum illibatissimumque sanctitatis fontem, aliquando excitabimus? qua fronte? qua impudentia? En hostes acclamantes quotidie adversus nos, et adversus Christum tuum, insultant cuneatim. Ubi est deus tuus ò insulse grex? Ubi pastor? Ubi dux? Hinc sunt nobis panes lachrymae die, ac nocte dum tam acerbe oblatrant. ecquid cerbereas inter fauces, ovis pavida respondeat? Facti sumus elingues, quorum in ore non sunt redargutiones. Confusi igitur, diraque acerbitate intus affecti, obmutescimus. ò bone pastor qui tuas ab haedis cognoscis, ac sevocas oves, usquequo oblivisceris nos in finem? Usquequo avertis faciem tuam?

Peccavimus. Et quis nos ab inexorabili irae tuae saeveritate abscondet: tutabiturque? Te percutiente quis sanabit? Itaque de insupportabilium anxietatum PROFUNDIS hinc inde conglomeratis malis, miseriisque, clamamus ad te domine. De profundis rerum mortem intentantium pessimarum, ad te vitam nostram: spem nostram: sydus nostris tenebrarum profundis gratissimum, earumve salutiferum illustratorem, in pulvere et cicilio* [cilicio] positi confugimus. Quot si quidem sunt vitia, tot sunt profunda, ò vere insomnis custos salva

nos perimus. Extincta est fides, spes facta est expes, Amor insuper confusionis diploide circum amictus, offuscatur, atque alget. Veh nobis quod a mandatis tuis declinavimus. Quo enim a facie tua, cu-

{page 10} {p. A v v} De profundis

ius sicut tenebrae sunt, ira et lumen, fugiemus? Ne quaeso pater, cuius miserationis non est numerus, spiritus tuus maneat super nos in aeternum, quia caro sumus. Ne obsecro nobis miserearis, ut discamus facere iusticiam. Sed exaudi voces nostras: voces gemebundas. Quin immo in Rama ululatus, moestificaque supplicia. FIANT AURES TUAE intendentes in vocem deprecationum nostrarum. Licet enim, (tu scis domine secretorum inspector, qui sunt) hi tuam ad pietatem sanctumque cultum obtorpeant, licet huius tuae semifractae, ac rimosae naviculae, velum voraci, diroque Aquilonis flamini, explicare satagant: licet sua, non quae Iesu Christi unigeniti tui, quaerant: atque ob id, quot mala sacris in aedibus recrudescant, quis haud sciat?

Sunt tamen quorum mentes in te, tantis in procellarum nimbis devolutae, ut valent figuntur: nec nisi in te tutam a fluctibus stationem esse advertunt. horum igitur licet paucorum, devota fidei, et pietatis studia, placatus despice: et illos in curribus, et in equis ferocientes dissiice. Quid contra Israelem, si tu pro Israele? Quid dicam? prope est, ut fores constringant. instant. oppugnant. et nisi propugnes, expugnabunt. Ah rabidae leenae tantum iam demum virus compescite. Iam quaeso vos, obtestorque, rapacissimas in sinum unguulas convertite. Resipiscite invicem: atque alta vicissim deponite supercilia, Totum siquidem aedificium, eo periculosius labat, quo bases pertinacius compage dissolvuntur. Esto ò aequissime arbiter, nulla est in nobis sanitas: artus aegro sub capite perlan-

{page 11} {p. A vi} De profundis

guent, sit an, sive a membris caeteris, sive a corde. morbi origo nescio. hoc tamen scio: quod SI INIQUITATES OBSERVAVERIS. Nemo sustinebit. Quis enim si misericordiae iudicium superexaltaveris, sufferet? Quis ad hoc fortis? quis potis est? Ubi insuper Adam? Ubi vir ille secundum cor tuum David? Ubi Solomon? Ubi denique Petrus, si ultrici vindictae mortalium servas facinora? Omnes quippe peccavere, et egent gloria tua. Gratis ve homo tuus factus est filius? afflictus? irrisus? ac crudeli ligno affixus? Qui nobis haec proderunt? una postremo salus erit nullam sperare salutem? nemo ne salvus? Ergo tu mendax. Absit pietissime Pater, tua a plebe immanis haec impietas, fidesque profana. Scimus enim, QUIA APUD TE propitiatio est.

Tuus quidem unigenitus, immitissima clavorum vulnera coram te denudans adstat: necnon crudele lateris, ex quo tantus mortalibus emanavit dulcor, foramen detegens, pro tota eius plebe propitiatur. Is est enim, quem tu clementissime domine, propitiationem posuisti in sanguine ipsius. Ille ille [sic] est, qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris: qui sanat omnes infirmitates nostras. Id est super arcam propitiatorium illud aureum, ex quo Mosis filii secundum repromissionem, etiam nunc divinae tuae maiestatis oracula sitibunde hauriunt: et de cuius plenitudine nos quoque omnes accipimus. Timeamus ne filio tuo apud te propitiante? propitiante eius matre? propitiante innumerabilium coelicolarum conventu? quorum meritis, ac suffragiis, si pro' dolor, ceciderimus non colli-

{page 12} {p. A vi v} De profundis

demur, quia tu domine manuum suppones. Ideo propter legem tuam sustinuimus te. SUSTINUERUNT. inquam animae nostrae in verbo tuo: speraverunt animae nostrae in te ò domine. O exoptabilem legem. O verbum omni gladio ancipiti penetrabilius. quam suave iugum: quam leve onus: sub quo etiam indomitae Tygres: cruentae incurvantur Phocae. hoc est enim salubre tum patientiae, tum amoris praeceptum. quo qui, ut par est, bene utitur, sustinet quidem in spe: et spes non confundit, propter spiritum sanctum qui datus est nobis. Igitur non diffidat, sed A CUSTODIA MATUTINA usque ad noctem, speret Israel in domino. Tu qui implesti desiderium tuum ex ipsis, si laeta prosperitatis aura arriserit, si gaudium, et exultationem obtinueris, matutinam adesse custodiam reris, O quam tum leve est sperare in domino: et ponere in domino deo cor tuum.

Sed quid si inopinata Boreae feritas supervenerit? quid si Auster nostram flatu adverso, domunculam concusserit? En dicimus noctem instare, conquerimurque involuisse diem nimbos, ac noctem coelum humidam abstulisse. Adversae siquidem res obductae sunt tenebris multis. Quid enim? desperandum ne est? haudquaquam. Sed in domino a custodia matutina usque ad noctem speret Israel. Indoctus quippe nauta, nisi sedato freto, clavum agere non novit: sed peritus cautus, prudensque ligni magister, quicquid inclemens Notus, procellosusve Aphricus intorserint, sapientiae clypeo repercutit, vanumque reddit. post nubes igitur sperandus est sol. Ve-

{page 13} {p. A vii} De profundis

niet profecto dominus: et non tardabit: qui et dividet lucem a tenebris: confusoque, et effuso passim Nembrotico ausu, disperdet illos dominus deus noster. Tunc enim ex tot cordibus, ex tot linguis, ex tot haeresibus, fiet cor unum, lingua una, cultus unus.

QUIA APUD DOMINUM misericordia, et copiosa apud eum redemptio. Redemptio misericordiam consequitur. Ipse est misericordia, ipse est copiosa redemptio. Ipse est inquam qui miseretur, et commodat: qui et propitiatur. Sed quid ego pulvis, et bulla? ad illum ne tuum altissimum aeternum, atque inaccessibilem maiestatis montem accedam? Non accedam pollutus ne peream de via iusta. Quis non paveret? Miserebor, inquis, cui voluero: indurabo quem voluero. Idcirco ad Pharium regem dixisti ò Domine. Posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam: et narretur nomen meum in omni terra, adhuc retines populum meum, et non vis eum dimittere? O' rem infandam. percutit dominus, et induratur servus. flagellat deus, et non veretur homo, insultat, reluctatur: et perinde, ac si adamantina cordis duritie dei benignitatem, ac patientiam expugnare credat, insurgit demens. Sed mentita est iniquitas sibi [sic no period] Nam paulopost, quam fortis sis, atque omnipotens, et sua, et suorum pernicie sensit miser. Legimus enim quod Interfecisti exercitum aegyptiorum: et subvertisti, rotas curruunt [sic for currunt]:* ferebanturque in profundum. Et liberasti in die illa populum Israel de manu aegyptiorum, Sic, et nunc, hisce in novissimis diebus, ò clementissime, liberare potes Israel ex

{page 14} {p. A vii v} De profundis end

omnibus iniquitatibus eius, non quod Israel iniquus sit: sed quod iniqua ab iniquis patiatur. de quorum interitu quamprimum ducentur funera.

Pomilio 1

De lege animi et membrorum. ad Lucianum Monachum Amicum.

PHILEREMUS.

Phileremus. Euthymius. Isidorus

Nonis februarii, dies qui est mihi natalis, Luciane doctissime, me in puteolano litore deambulans, Euthymius, et Isidorus convenere. hic ex Italis: ille ex Hispanis anachoritis. Ambo enim boni, Aones ambo, et cantare pares, et respondere parati. dissimiles tamen natura: Euthymius tranquillioris, Isidorus ardentioris erat ingenii. quandoquidem Iovem alteri, alteri, Saturnum favisse in partu, aiebant Astrologi. mihi autem stellarum quae* [quae] fuerit presens in puerperio, fatentur nescire.

Ego vero, salvis illorum horoscopis, dico fuisse Hyadas, licet non suo tempore, nimirum homini ad ventos, et pluvias experiundas nato. Mirabar inquam ó amici, unde Trigla tam festiviter haereret hamo: quin conchae ipse* [ipsae] praeter naturam hiarent, ac suas sponte proferrent lachrymas, Videte, vos quaeso, quomodo etiam instante lunae deliquio, spondylos habeant per pingues. vestrum scilicet una mecum sensere adventum etiam maris ferae.

EUT. de amicis semper ò Philereme, ut tua est modestia, et sentis, et loqueris. Sed tua quomodo

{page 15} {p. A viii} Pomilio 1

se habet aetas in hoc aestuoso litore, et piratarum latibulo?

PHI. Raro propter assiduas hyemis tempestates, hasce nostras adeunt ripas Piratae, et si adeunt, non hybernant. De reliquo, nihil iam sub coelo esse, quod me admodum moveat, iam tandem sentio senex, praeter unum me, quem mecum quodcumque terrarum peragro, gravem, molestum, atque adeo inplacabilem hostem gero. Hoc enim natura dissidio* praeditos esse voluit mortales omnes deus, ut secum ipsi certent, degladienturque sedulo. Nec morbo: nec senio: nec assiduo, quod* aiunt, pulsu tussedinis, unquam moneri: atque tantum affligi possunt, quin secum malint rixas, quam pacem, et concordiam. Nullum profecto belli genus cum illo, quod in se experitur homo, et patitur, aequiparandum. Atque eo saepius saevire, ac late magis vagari solet, quo quis animum a conflictu studiosius avocare nititur, et laborat.

Et, ut verum dicam, in hoc meo deformato, ut videtis, corpusculo, atrocius plerumque, quam cum robustioris eram aetatis, turbas fieri sentio, dum consilio voluntas: voluntati ratio: rationi voluptas, susque* deque alterum alteri repugnat, et contradicit. Ex quo tanta plerumque excitatur contentio, quanta vix, salvis mercibus, a me tolerari possit. Et demum non est qui se tuto explicare queat, nisi habeatur deus praesens et tutelarior. Sed mihi videor impudens, qui ventis spiritum cupiam, ut dicitur, inspirare. Vos enim doctiores, nec falsus sum, sanctiores estis, quam ut a me erudiri debeatis. Quantum itaque de iis vos melius.

EUT. Vere nos melius ò Philereme, qui continuo in acie

{page 16} {p. A viii v} Pomilio 1

versamur: stare non audeo dicere. Tu vero maxima cum authoritate exauctoratus iam es. Quod* si dicas aequalem ferme et tibi, et nobis aetatem esse: proinde debere etiam in nobis, quae in te est eandem esse animi firmitatem, vel robur: falleris, quandoquidem statarium militem, ac suum fortiter servantem, ordinem, alium esse ab illo ducimus, qui nec perseveranter stat, nec firmiter suum tutatur locum, ut nos, qui nuper ex acie egressi, audito vix classico, cecinimus receptui: languidam scilicet esse causantes aetatem, imbecillam, deciduamque.

Ex qua re sit, ut qui forsitan aliquid laude dignum, dum florebat aetas, gessimus, modo tardiores ob senectutem facti, vel illud quidem prius cum Gloria actum, turpe et inglorium reddimus. nec parum ideo distare arbitror eam, quam armis, vi, et instrumentis bellicis, constare scimus militiam, ab ista nostra, qua corde, animo, sensuque, et infinitis animae affectionibus, uti gregariis copiis, conflagimus. Illis enim aetate iam ingravescentibus, aut morbo aliquo affectis facile datur ocium, et quies, nec sine laude: unde emeriti appellantur. Nobis vero neque ocium, neque pax neque ulla datur causaria, dum hic vivitur, emissio. Semper enim in acie standum est, semperque aut quominus, aut eminus res agenda. neque ulla in aetatibus consideratio: quod si aliqua, in hoc sit oportet, quod senex hostem fortius quam iuvenis urgere debet. nisi sit quod Isidorus clarius videat.

ISID. Quid oro clarius cerni potest, quam cum veritas ipsa sese nudam exhibet? Puto enim quae abs te dicta sunt à Euthymi, huiusmodi esse. Senes propterea debere, atque etiam

{page 17} {p. B} Pomilio 1

posse vigilantius instare prelio, quod armis iis magis, et artibus, quae ad animorum iurgia sedanda sunt apta, stipati, ac fulti esse videantur, quam iuvenes. quod qui dicit, optime quidem tecum sentire existimo. Atqui provectoris aetatis militem, ab istis, in quibus tela, ac faces exercentur, copiis removeri, atque a sacramento absolvi, nemo est qui grave ferat: praesertim cum ea, quibus miles in acie uti debet, subsidia desunt, nempe corporis robur, sanguis, succus: quae omnia adeo convenire militi dicimus, ut absque horum praesidio, neque gloriam, neque laudem unquam assequi possit.

Sed secus in nostra militia. Siquidem illam inertem, turpemque esse ducimus senectutem, quae cum ex longo rerum usu, et consuetudine, illis ipsis rebus, quae adolescentioribus, propter inconstantis vitae aetatem non suppetunt, munita esse deberet, hanc ipsam inermem, et prorsus nudam in acie oblangescere spectamus. Nec constantioris tamen aetatis virum laudamus, nisi adsit necessarius armorum usus. multo minus senem. Quis enim non multo magis a senectute, quam a florenti aetate requirit prudentiam? temperantiam? sapientiam* [sic, for sapientiam?].

Sunt haec quidem arma senilia: quibus non modo non orbari: sed etiam ornari solet senectus. Nam qui a Caecilio stulti vocantur senes: de credulis, obliviosis, dissolutisque dicere censet Cato. quae quidem vitia non senectuti ascribi possunt, sed inertis, ignavae, somniculosaeque senectuti. ut socordia, ut inconstantia, magis est adolescentum, quam senum: sic deliratio seni-

{page 18} {p. B i v} Pomilio 1

lis non omnium est, sed senum levium: quo circa persuaderi facile possum, ut quemadmodum in senectute vigere magis debet, et vis, et animus, quam in tenerioribus annis, eodem fere modo, vel facilius, et minus laboriosus aevo consumptis, sed mente

praeditis, patere debet ad victoriam accessus, et via, quam illis ipsis, quorum pectora variis adhuc cupiditatum flammis exaestuant, obnoxiaque sunt. Turpe igitur illud cuiusdam nostri ordinis senis, qui cum ex eo quaeretur, cur tam licenter ignaviae, ac somno deserviret, quia senex sum inquit.

O praeclaram senectutem quae et si in iuvenum caetibus, vel celeritatem Herculis, vel robur Milonis admiratur, suis tamen et ipsa gaudet muneribus, ratione scilicet integra, mente vegeta, animo perspicaci: quarum rerum stipata satellitio, nihil minus desiderat, quam* lubricae aetatis adoloscetiam. Quod quidem genus senectutis perfectissimum in phileremo nostro abunde esse gaudemus, et quod, ut scis ò Euthymi, gratulari huic saeculo nostro soliti sumus.

EUTH. Sic gaudemus ò Isidore, ut nec a moerore liberi simus, divinantes fore, extincto Phileremo, unde discamus neminem. Alii quaerent Baias, atque ipsos luculli hortos: meae delitiae, mea amoenitas, mea apricatio sit, ubi ubi terrarum fuerit phileremus.

ISID. Litoreas nostri temporis anachoritae, ut longa vitae fallant fastidia, legant conchas. ex iuncis canistra, ex vimine panariola, ex Hibisco sportulas contexant: mihi (quandoquidem sua cuique* est sententia) summa erit oblectatio ab aurea phileremi pendere bucca, meliflua cum sua me pascit oratione. Quis Nestorem

{page 19} {p. B ii} Pomilio 1

desideret?

EU[T]H. Neque ego, cum aliis, tantum mirabor irrequietos syderum gyros, solis item, lunaeque radios, quantum Phileremi mores, atque altissimas animi contemplationes.

ISI. Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mytilenem*, aut, ut nunc passim omnes, Caesarem, Caesareasve ad istrum copias. Ego si quid* rudis, aut agrestis valet calamus.

PH. Ah, videte ò viri optimi, quomodo etiam* amicitia laudes suos habeant excessus. Utinam dignus essem vestra laude: Sed cum primis meo nomine, quo vos me tam lepide adornastis.

Sed ut ego etiam* vobiscum aliquantisper insaniam: Tu Euthymi, honorate, docte, ornate.

Isidorus, clarius, ardentius, et magis poetice. Sed ad me redeo, quem sextum iam, et octogesimum annum agere scitis. Quamvis enim pleraque illa quae* solent ferventioris aetatis viros, ad varias animi appetentias incitare, atque in dies magis stimulis agitare, pene in hoc cadavere sint extincta: tamen audeam ne (nec cupio quidem) liberum me fateri omnino, cum Paulus dicat bonum ab sese alienum esse?

Scio inquit, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Sed condelector legi dei, secundum interiorem hominem. Ex quo pulchre duplicem in homine vim esse demonstravit, et hanc variam, et dissidii plenam, quas leges vocat. Altera est, qua ad bonum, pulchrorum, honestum provocamur. altera, qua ad malum, turpe, inhonestum. illam mentis legem vocant, hanc membrorum. Cum iis enim nasci hominem et cum iis insensescere, non est qui negare queat. Prima quippe illa, de cuius persuasione ad rationi parendum, atque illis ipsis rebus quae* ad bene profectaque vivendum spectant, excitamur, in nobis dominatur.

{page 20} {p. B ii v} Pomilio 1

Altera iacet, et servit. quae si senserit, ut est procax vel paululum hominem flecti, et mollia amplecti, mirum quanta cum audacia, imperium sibi vendicat, quin ex turpi ancilla, sit domina turpior. Cum duabus igitur diversis, ac repugnantibus legibus, factus est homo, ut ipse mundus ex luce, et tenebris. docte quidem Coelius. Si anima inquit superaverit (haec

est prima lex) quae ex deo oritur, immortalis erit, et in perpetua luce versabitur. Si autem corpus (haec alia, scilicet orbis tenebrae) vicerit animam, ditionique subiecerit, in sempiternis esse tenebris necesse erit, atque in morte. Proinde enitendum est, atque in delectu vigilantissime elaborandum, utram regnare malumus. non parum referre puto, utrum tenera est aetas, parendum censeas.

Ea enim quam tum, cum aetas, iam est ad deliberandum idonea, tibi elegeris, tecum senescit, et tuas post mortem comitatur actiones. Antequam enim lex fiat, et te devinciat, ac liget, unde dicta est lex, vis est naturalis, et semen quoddam mortalium animis ingeneratum, quod iccirco deus homini dedit, ut habeat quo se se prudenter exerceat, atque a caeteris animantibus longe semotus, ratione, ac mente utatur.

quod si porro illud aliud quo ad appetendum aliquid, vel conservandae vitae causa, vel propagandae prolis gratia movemur, romanis se imperio accommodaverit, id legem est a natura insitam, et hanc bonam esse fatemur, et cui parendum esse, natura ipsa censuit. Neque quemquam tam barbarum, ac ferum esse opinor, cui non sit persuasum naturam, et ipsius

{page 21} {p. B iii} Pomilio 1

naturae legem bonam esse, sanctam, et nisi nostra depravasset malitia, incorruptam. Sed si paulatim ut nostra est fragilitas, amplecti noxia, libidinosa sectari, caduca amare, atque in turpibus se immergere homo coeperit, me miserum, quas strages dabit damna* ista subdititia. Tunc enim lex data a natura ad conservandas rerum substantias, fit rerum exitium, et calamitas. Hoc est quod quaerebatur Paulus (fingebat enim se miserum, ut miseris suppetias ferret) inventum esse mandatum quod erat ad vitam, id esse ad mortem. Melius igitur Paulus quam illi, qui dicunt haec naturae incitamenta, ad perniciem esse homini data. natura inquit sumus filii irae.

Optime quidem dictum, sed prave a quibusdam intelligi solitum. Ira haec (nisi secus commententur patres) non furor, non excandescencia, non ardor animi, non irascentia, sed ordinem illum intelligi oportet, ex quo mortalium neminem natura, vel ex naturae viribus, ad consequendam beatitudinem quam deus ipse summe iustus, ex se, nec ullo [ullo*] nostro enitente merito largitur, fortem* esse videmus, homini* enim ab aeterno bono exilium, vocat iram homo. nec fallitur omnino.

Neque ego aliud esse existimo, et quae in coelis sunt, et quae in terris opinamur bona, praeterquam iram, malum, metum, crucem, nisi adsit deus, et ille maiestatis aspectus, ac visio, in quam* ipsi etiam coelestes spiritus cupiunt prospicere, et cum prospiciunt non saturantur, et si saturantur, adhuc absque fastidio, cupidi sunt. Sed unde digressi sumus revertamur, dico igitur cum Paulo, legem bonam esse, naturam bonam, mandatum

{page 22} {p. B iii v} Pomilio 1

bonum. Sed ex hominis vitio, et ordine perverso, omnia haec vitiata esse. Quocirca pura et nitida remanente rationis lege, sed membrorum legis servitio nudata, dum illa quae sursum sunt quaerit, non quae super terram, haec vero terrenis ac noxiis dum oblectatur bonis, crudelis illa excitatur pugna, de qua Paulus lamentabatur legem mentis a membrorum lege impugnari, et ad inhonesta trahi, etiam ipso reluctantante et reclamante.

Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Quae quidem naturae debilitas a prava hominum consuetudine exorta, adeo plenum iam sibi vendicavit animi imperium, ut

vel ipsum natura caelestem, ac divinum, in malis cupiditatibus hallucinari, et misere ad meliora cogit connivere. Bonum quippe homo ex prima legis natura, et cupit, et amat, et vult. Sed ex inveteratis in turpi, et inhonesto moribus, perinde contraria et perdita vult, et amplectitur: ut natura ipsa hominis ad appetenda scelera, nata esse videatur.

Vis igitur illa sublimis libera, et ad quaevis suimet, summum secum habens dominium, dum incaute vitiorum laqueis irretitur, lex fit, et ea, quae iam malum, atque saluti calamitosum et lethale, non potest non velle, et agere. Quod facunde in Paulo legimus. Non quod volo bonum (ecce vis animi) hoc ago. Sed quod odi malum, (ecce corruptae legis necessitas) hoc facio. Memini me in hoc Tirrheno nostro, vidisse navem onerariam, adeo ventis, ac fluctibus impelli, ut neque Navarchi prudentia*, neque solertes nautorum discursus, neque fida anchorarum tenacitas prodesse potuerit*[corrected in errata]

{page 23} {p. B iiiii} Pomilio 1

quominus in ipso portus limine collisa, naufragium fecerit. dicetis ne naufragium passos, consulto atque ex animo, an reluctantes adiisse scopulos? Identidem ferme in vita hominis cursus. quod licet reclamet ratio, reluctetur mens, refragetur animus, acta tamen a iam antiquatis cupiditatum Euris natura, et videns, et nolens, in procurrentibus vitiorum haeret saxis, atque ipsis getulis syrtibus perniciosiores exhaurit undas. quam quidem luctationem doctissime pinxit Paulus, cum dixit. Iam non operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Considerare, vos quaeso, quomodo duo, ut sic dicam, homines in uno homine sint, ac vicissim confligant. quorum quidem alterum internum in anima, alterum externum in membris dici libeat. hic cupiditatibus obnoxius, et propter legem animi corruptam, ad vitia pronus. Ille honesti semina nonnulla retinens, ad honesta, et salutaria ut valet, nititur. Sed, nescio quo pacto, terra coelum. Corpus animam. magnetem ferrum, trahant, cum trahi debeant.

Prudenter quod utique repetit Paulus. Non quod volo inquit, bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. quamvis hanc indissolubilem plane esse quaestionem existimet Cipryanus: ac dubius quaerat, quo magistro, quoque exemplo fiat, ut homo natura rationalis, ac divina portione praeditus, ab ipsis statim pubescentibus annis, ad malum moveatur, imbuaturque. Cur, inquit, in negata, et vetita nititur? Cur illicitis delectatur? Sed et quod dicitur spiritum a corpore impugnari: et rursum a spiritu

{page 24} {p. B iiiii v} Pomilio 1

corpus, improprie dici arbitratur, sed vitia ab ipsa anima nasci: atque in anima sine dubio gigni. huic enim, haud corpori, datum esse arbitrium, scientiamque, qua possit inter bonum, et malum habere delectum. Corpore ait, utitur anima aequae, uti solet malleo, aut incude faber: in quo formare* omnium turpitudinum Idola, ac infelicissima* voluptatum simulachra fabricare, solita est. Itaque haud quaquam a corpore moveri affectus, et appetentias, sed ab anima: quae per miserabilem corporis officinam quicquid affectat, et agit, et perficit. Ex qua quidem asseveratione concludi potest, eam illam quam opinamur esse inter animam, et corpus controversiam [corrected in errata], inesse in anima tantummodo, quae secum rixetur, et cum proprio arbitrio rem agat, seipsam laniet, discerptetque [sic]: et cui solum denique peccatum imputari soleat. Mens inquit sui desyderii veneno facta ebria, corpus contumeliis applicat, et iunctis complexibus, ambo in mortiferas suavitates lapsi,

obdormiunt. Cunque evigilaverint, sero poenitentiam adducit confusio: et inquinamentorum horror faedatae menti occurrit.

Docte haec igitur Cipryanus, ut cetera. Hec habui o' amici quae de duarum legum repugnantia, et conflictu dicerem: quae quidem, nisi a vobis provocatus nec dixissem, nec inter hamos occupatus, in poenitentia versare animo, ausus essem. Alta enim haec et intellectu difficilia vix inter aras, et sacra, syncere tractari possunt. multo minus, cum levandi animi causa, nunc per saxa parvos ludentes videre Echinos, nunc ab alto grandiores sese arena saburrantes praedicere tempestates, nos delectat. Puteolis.

{page 25} {p. B v}

Pomilio 2

De vita solitudinis, et Coenobii. Utra melior ad Nicodemum fratrem.

Phileremus, Angelus.

Angelus orientinus, Nicodeme carissime, adolescens quidem modestissimus, et satis literatus, instantibus servatoris mundi natalibus, ad me venit. Huius enim pater cum viveret, mihi admodum familiaris fuit. Potissimum in Fragusiorum* academia, illo et amico, et praeceptore usus sum non gravate. Ad tam celebre quidem musarum templum, undique terrarum, si qui erant in literis excellentissimi, tum virtute ipsa contenti, tum premio invitati, perinde confluere soliti erant, atque ex graecia quondam ad lycium Platonis: sive ex Italia ad Pythagoram, Crotonam.

Angelus igitur haud immemor paternae pietatis, antiquam, ut sua ferebat aetas erga patris amicos, necessitudinem conservabat. Sed, nescio qua causa, familiaris mecum, quam cum caeteris.* nondum tamen me in massensi agro convenerat. O felicem aio diem ex quo in filii vultu, respicio familiarem meum Leontium: quo nemo in lyguria melior natus est, nemo pietate praestantior. heu romanam ingluviem, qua tam iocunda privatus sum consuetudine. quam maxima profecto vi tibi enitendum est, ó Angele, quemadmodum vultu, et caeteris corporis liniamentis, patrem ad amicos restituis: eosdem sane

{page 26} {p. B v v} Pomilio 2

mores, eandemque integritatem praestare ut possis.

ANG. Si verum illud est, quod dicunt philosophi, ex simili scilicet simile gigni, non multum mihi elaborandum erit, ut consequar: sin minus: enitar tamen pro viribus.

PHIL. Ut bonae es indolis, et respondes, et agis. Sed quo tibi est cursus? cursum dico, quia te succinctum, ac impense anhelantem video.

ANG. Ad te, recta. Caeterum quod me anhelantem cernis: quomodo secus in hisce tuis viis inviis: et inaccessibleibus? Dispeream nisi magis sit pervius Caucasus, aut Atlas, quam haec tua Massa. Integrum enim ex surrentinis Cryptis ad te consumsi diem, dum totum hunc, horsum, sursum, perrepto montem.

PHIL. Tantum ne laborem ob unum edentulum, cadaverosum ve senem? quid est te quaeso?

ANG. Dicam. Aliquot adololcentuli* [sic, for adolescentuli] in meis lavaniensibus hortis, ociandi causa, coiveramus: ubi liberius, et absque interpellatoribus, de rebus liberalibus

loqui possemus. Hinc nonnullae ingenuis animis non indignae quaestiones exortae: ex quibus ultima ferme fuit huiusmodi. an viro illi qui cuperet liberam procul a rebus publicis: curisque domesticis vitam agere: apertam solitudinum magis, an septam illam quam claustralem vocant, conducere arbitraremur.

Unus, et alter consumptus est dies* [errata]: et adhuc lis iacet intercisa, dum alii aliud censent. Ego ad hanc potius, qua secum vivitur, absque curis. Fontanus (nam uni ex meis aequalibus id est no-

{page 27} {p. B vi} Pomilio 2

men) ad alteram illam, quae multitudine, et freventia* [errata: "pro ferventia, frequentia"] gaudet. Madius, id nomen alteri, ad neutram, his potissimum diebus: in quibus ait, sacra omnia polluta esse. Tamen id mihi ratum fore putant, quod fuerit a te diffinitum. nec falluntur. Rem habes.

PHIL. difficillimam licet ó Angele, rem expetere videaris, in cuius nimirum diffinitione a priscis authoribus non parum est desudatum, et a nonnullis quoque erratum: tamen hoc forte integrum iure suo, aetas, et longa [corrected in errata], nec sine capitis periculo, rerum experientia, mihi tribuere potest. Et hoc, et illud, nec sine proborum laude, ac malorum invidia, a carcere ad calcem decurri stadium.

Verum velle mortales omnes sub una dumtaxat vivendi lege (de Evangelii lege non loquor modo: alias forsitan) restringi: id propterea esset, ac si bos cum Tygri: aut cum Camello equus, eodem sub iugo restim ducere cogerentur. quod quidem adeo contra naturam esse videtur, ut in Hebraeorum etiam lege cautum fuerit, ne quis cum bove et asino simul, terram araret. Tamen est animus, si non alitem in summo malo: at saltem vincula, posse attingere: quamvis, antequam de hac re sumam exordium, sciam te natum ad tecum vivendum, tuisque bonis, quae* multa sunt, scilicet teipso fruendum.

Tu nursine pater, quem olim hasce pertritas ruinas (ah dolor quae tam saeva aetas tam pulchras deformavit aedes?) habitasse dicunt, unde exordiar? Tu ó dive, et eremi, et Coenobii qui singula-

{page 28} {p. B vi v} Pomilio 2

rem, ac discretione precipuam sanxisti legem, atque eandem, tum vita, tum disciplinis ad bene beatissimeque vivendum pertinentibus exornasti, errabimus si hanc*? melius illam fortassis. Excute te quaeso, ó inexhaustae lucis cognitor, et particeps, obscuras caligines, noctes dissiice* [disiice], atque palentes dirumpe tenebras. Cor titubat. Animis* nutat. Ratio labat. caecutit intellectus. Mens mutit. Os demum mussat sine te ó pater. Principio ó Angele fili, dubitandum non est, hanc quam vocamus claustralem vivendi normam, tutius peragi, et melius adolescentium mores, ac vitam institui (modo pristina non desit sinceritas) in bonorum virorum coetibus, quam in isto incerto, inaequalique quamquam durissimo, vivendi modo.

Illa tutior, doctior, amabilior. haec perfecta magis, magis simplex, magis aspera. Ab illa cultum, ab ista neglectum. Illic vivitur, hic utcunque victitatur. Cubile durius, habitusque vilior, ac negligentior. Nulla enim magis olim expetenda fuit vita, quam ista, in qua, nascente vix fidei planta, maiorem immodum aegypti, Syriae, atque Indiae florere solitudines. Cuius quidem instituti fuere principes, Paulus, Antonius, et Hilarion, qui visi sunt in Thebaidis saltibus, sub Constantino, acerbissimam, atque impendio sanctissimam, vivere vitam.

Ex quorum officina, Pion [Serapion] ille eximius prodiit, qui sororem aegrotantem, rogatus vix semel adiit, sed clausis oculis. Exemplum profecto posteris, et continentiae et saeveritatis, mirabile. Complures deinceps etiam

{page 29} {p. B vii} Pomilio 2

regii sanguinis extitere eius generis disciplinae vel mordicus cultores. Qui quidem adeo perfectissimam in sylvis, et speluncis degere vitam, ut nihil in coelitibus invidere viderentur, preterquam quod* corpore gravati, hebetiores animi sensus, secum ferrent. Et hi, anachoritae (nos eremitas appellamus) nomen suo iure, ac merito sibi vendicavere, vel hac potissimum appellatione, excelsam et sublimem vivendi viam demonstrantes. Secedebant igitur a caeterorum hominum consuetudine, quibus iam cum diis* [errata corrects diis to deo] foedus erat, et amicitia.

O Beatum tum dixerim fuisse terrarum orbem, cui non magis decori fuit sol ipse, ex cuius beneficio, sata, arbores, plantae, et caeterae animantes recreantur, et m sumunt, quam fuit anachoritarum splendor, et fax: de cuius radiis mortalium mentes, et vigorem, et lumen, et vitam denique in tenebris versantem recuperaverunt. Unde quaeso melius continentiae exemplum, scilicet etiam alicui charitatem cum nostro periculo non esse praestandam, sumi potest, quam ab Elia illo tercentum virginum custode?

Si beate, sancteque vivendi summam aves, lege alterius Macharii epistolam, nusquam eruditorem requires. Porro est qui ante actorum facinorum adeo gravatus pondere, vix se se a laqueo temperat? non hoc egit aethiops Moses, qui cum aliquandiu in latrociniiis vixisset, conversus tamen ad meliorem vitae frugem, quinque et septuaginta annis, in vastis Eremis sanctissime vitam

{page 30} {p. B vii v} Pomilio 2

finivit. Caeterum, ne ad unum omnes.* commemorem, cuius vis disciplinae exemplum si quaeris, Eremos adi. nusquam enim certius. nusquam salubrius.

ANG. Non nihil quidem primum mihi animi ardorem reaccendisti ó Philereme. Sed multo ardentius incitasses, si novam, ut aiunt, haud antiquam narrasses fabulam. Ego si cupiam anachoritarum aggredi instituta, num mihi exsuscitandus est Paulus, vel Serapion? Num Macharii, quorum ductu, rei tuto insistam? Tu forsán, ut tua est aetas, in hoc biduo, quo tecum esse decrevi, excedes e vita. Cui proinde me? ad quem? quo? quando? quomodo?

PH. Iam dixi ó Angele, securius, addo et decentius, adolescentes in Claustris posse institui, quam in Eremis, qui modo nulli sunt, potissimum in hac nostra Italia. In Hispania forsitan crebriores, in monte illo non tantum vineis, ac oleis foelicissimo, quantum viris sanctis. Nos vero, heu, numeri sumus, nati consummere fruges. Neque habitus, neque vitae filum, cum illis comparandum. Ego ne Anachorita, et non potius Analecta? Sic mei coloris sunt fere omnes. Qua propter velle in Italiae recessibus alterum videre Dorotheum, vel Zozimum, perinde est ac si de rupe hac stactem, aut ex Corylo illa, quam pendere e saxo vides, Smaragdus coneris decerpere.

ANG. homini enim argumento, ut mea fert opinio, res possent coenobiorum recenseri. In illis enim* neque Basilius, neque Franciscus, et musca, quod aiunt, alba. quod* si Eremita fervor desiisse tibi videtur, nec ultra so-

{page 31} {p. B viii} Pomilio 2

litas flammam emmittere: identidem et Coenobia deferbuere, ac pristinos extinxere ignes. PH. non infitior ó Angele. Extant tamen, si rem exacte ponderes, in iis transactae lucis vapor quidam, non prorsus extinctus. At in illis et vapor, et odor, et umbra etiam* intantum elanguit, et evaporavit, ut si quis excellentiorem illius vitae modum assequi est cupidus, aut solus antro aliquo inclusus sibi vivat oportet, aut de terris decedat omnino. Quid in pluribus te moror?

Audi, te obsecro, mucosum hunc senem, cui neque mentiri, neque (quod prudentem virum Nigidius decere dixit) mendatium fingere, mos unquam fuit. Tempore quo excisis ferme florentinorum rebus, Orangius gallus copiarum caesarearum imperator, in acie occubuit, profectus sum Romam: ubi tacto vix Petri limine (nam Romae, absente pont.* [pontifice] non est diu immorandum, tunc enim cum Caesare Bononiae erat) in Umbriam reversus sum. Ubi mons est, vix extra spoletinorum urbis moenia, positus, amaenissimus quidem, ac fructuum in primis felix, et densus.

In hoc caellulae non illepide fabrefactae, per intervalla situ discretae. Nec mora peragratis de more omnibus, vix unum atque alterum, quem caellae ocia magis, quam urbis negotia delectarent, videre contigit.

Omnes enim alioqui viri boni, simplices, et literarum ignari sunt, rudes, inculti, et quorum studium, ante omnia est, ne aliquo egeant. Mox illinc ad Picaentes me contuli. Ubi illud est maris superi tam celebre promontorium. Conarum

{page 32} {p. B viii v} Pomilio 2

dico. In cuius tergo fere, ut in umbriae luco (monti enim id nomen est) idem caellularum decor, iidem mores, eadem vita: hoc excepto. quod* in luco summa simplicitas, et satis ampla in hospites charitas: in conaro nulla neque simplicitas neque charitas, et aequae vicissim dente ac morsu confligunt (cum venia mei mauroceni sit detectum) ut Cynicos dicas. Applausus illum sequitur, qui alteri sagacius imponit. Irrisio, qui laesus tacet.

dicam? stomachor. dicam tamen, et si mihi dicam grandem impingat claudus. quicquid scelerum, quicquid latrociniorum, quae multa sunt, quicquid turpitudinum, quicquid rerum earum, quae vir bonus honestatis gratia, nunquam proferre solet, quod vi et astu, in nemorosis illis secessibus exerceri solet: id totum claudio ipsi, atque Epirotae illius gnatonii, acceptum referri, et posse, et deberi.

Sciunt illae sublimes, moli eminentes in colle aedes. Sciunt montis illiceta, Scit multo magis sacellum Magdalenae dicatum, quas turbas, quasque commotiones, unius molossae* donatio conciverit. Centum vidisses ad unam ossam cerberos.

Heu fuge crudeles terras, fuge litus avarum. tunc mihi visus est dicere nescio quis divum. In montem tamen (a qua sorte misera detentus) complures consumpsi dies. Non vacat Angele, angustias animi enarrare: quas tum passus sum, cum res montis, aut melius rerum reliquias ab Arpiis vendicare satago. quid? Res ipsas plane perdidisti: meque ipsum prope. Lis quaedam erat de rastris et ligonibus inter quendam dementem Dalmatam, et caninum quendam

{page 33} {p. C} Pomilio 2

Chaonium, anachoritas ambos, utriusque partis perfidiosus alius instigator, barbatulus quidam etiam ipse anachorita, et anachoritarum senior, et pater: ut interim illum tam pio exornem titulo. Iudex vero ipse corruptissimus. Quid ageret homo novus: hospes: et ad

animi tranquillitatem natus, inter tot vappas? Invisus igitur omnibus cessi: et cum meo Paulo, Damasci cathenas aufugi* nudus. Porro in Samnio huiusmodi instituti alios: alios in Campania: In Gallia alios: in Iyguria: Insubria: In Emilia: Alios item alias passim per oras Italiae palantes vidi.

Emoriar unum mihi, in tam ampla hominum farragine, cui rem tuto committere posses, si videre licuit. Huiuscemodi farinae ferme sunt omnes Italiae silvicolae De hispanis vero multo ab iis diversa narrantur. faxit deus ut vera sint. Interim non verebor montem illum: super omnes montes excelsos, ut ait Esaias, erectum dicere: atque nemora illa excelsiora, super omnes quercus Bassan.*

Sed iam ab istis nostris, si diis placet, anachoritis, qui de his qui* sobrie vivunt dicere soliti sunt, aut bibant, aut abeant, discedentes: ad illud aliud quaestionis genus revertamur, quo quaeri solet, an Eremis potiora sint Coenobia.

Et quia de Eremis satis iam est dictum: nunc de claustris dicendum erit. Ab antiquis igitur graecis accepimus (ab ea enim gente is coenobiorum usus exortus est) duas potissimum rationes extitisse, quibus viri sancti permoti, tam celebrem terrarum orbi, vivendi modum tradidere. Altera fuit, quod* salubrius mortali-

{page 34} {p. C i v} Pomilio 2

bus tunc fore visum est, his maxime qui* cuperent, longe a rebus domesticis semoti, divinae philosophiae inservire, si in proborum caetibus, et disciplinis instruerentur: quam si in duris, ac informibus solitudinum institutis pervagarentur. Altera quo purius in virtutum palaestra, Evangelii scilicet, sese exercere possent. Primus enim istiusmodi sacrae legis author fuit in graecia Basilius Cappadox, cuius familia in Europa iam pene abolita est: post hunc, in Italia Benedictus, qui si quid in terris suorum habet, in coelo quamplurimum.

Uterque tamen sanctissimus. Et quos, tum ob mirabilem vitae perfectionem: tum ob huius generis instituti, et disciplinae inventum, merito inter divos, grata posteritas retulit. Mirum quanta cum felicitate, et numero, brevi utriusque ordinis viri coaluerint. Ex quibus multi doctrina insignes: complures sanctitate. Horum ergo vigilantia, ac qua maxime praediti erant morum gratia et mansuetudine, non conventus, non coenobia: sed longe verius legiones, et exercitus monachorum una adeo coivere, ut de illis vere illud dici posset: quod* in omnem terram exiverit sonus eorum: atque illorum odor late sanctitatis profusus, aliis vitae ad vitam, ut ait Paulus: aliis mortis ad mortem extiterit.

Erecta est igitur, duce spiritu sancto, coelestis quaedam in terris virtutum schola. diversi erant: nimirum hic graecus, ille apher, alter italus, disciplinarum preceptores, unus tamen omnium finis, beatitudo scilicet. Multi ascetae, at unus pater deus ipse, tantae salubris machi-

{page 35} {p. C ii} Pomilio 2

nae fabricator. Idem Augustinus ante Benedictum, postea Franciscus egere. Caeteri appendices. Ad hanc itaque perfectionis disciplinam, innumerabilis cuiuscumque aetatis (ut dixi) multitudo, et olim confluxerat, et nunc confluit: sed nunc minor, rara, et frigidiuscula, ut frigida est nostri aevi conditio. desiit enim numerus: desiit et animorum fervor. desiit doctrina. desiit sanctitas. desiit simplicitas, remedium vel unicum, et si non ad sublevanda prostrata omnino et instauranda eversa: at saltem ad conservandas in statu reliquas.

Nobiscum tamen bene agitur: simul ac rem non stirpitus evulsam esse videmus. Quo circa aequae a me es admonendus ó Angele, ac solet navigaturus a naufragium passo. Carbasa forsitan. Malos. Transtra. oras. anchorasque, et caetera huius generis nautica, ad cursum resarcis. Ego syrteis: scopulosque commemoro: non ut te a navigatione deterream, sed ut cautius naviges. Clamo igitur a litore (sicca in rupe residens, salsos adhuc revomo de pectore fluctus.) Cautus sis: neque plus nimio sis audax.

dubiis ne crede procellis. Stultus enim nauta a prudente, hoc interest: quod ille aut superfluo metu perterritus, etiam sub udo non solvit: aut temere, cum caeteri portum tenent, ipse navigat. Is vero et ventorum et tempestatum naturae sese prudentissime accommodat. quo circa aut raro, aut nunquam naufragatur. Proinde in huiusmodi coenobiorum scholis, alios Platonicos, alios stoicos, alios item pythagoraeos,

{page 36} {p. C ii v} Pomilio 2

atque alios etiam Aristippicos videre contingit, hunc scilicet simplicem, et sua sibi negocia curantem, illum versipellem, et suas, et aliorum causas invertentem: hic abstinet, ille suum haudquamque defraudat genium. alter ob suas, et caeterorum culpas illachrymat, alter ne nomen quidem, lachrymarum novit. Tacet alius etiam laccessitus iniuria, quietusque vel imperiosissimis obtemperans animis: Alius vero immeritos laedit, laccessit, mordet, et qui cum si res serio agenda sit, statim ad parietem sese dare Nepam videas.

Ad summum, ne singillatim omnes citem, multos videre poteris apertos, ingenuos, iustos, bonos patres denique, sed multos etiam vitricos, et hos versutos, obscuros, veteratores, vel qui etiam ad tyrannidem aspirent, atque altius quam ad prima sui theatri [sic, theatri] subsellia se natos esse dicant, ut nuper in meorum nigrorum iniuria egere quidam.

ANG. non eo, per sacra quibus imbuor.

PH. non recte sentis, quinimmo haec eadem ab ipsis illorum primoribus audies. siquidem, ne de caeteris dicam, In Benedicti lege cautum est, ut dura, et aspera praedicantur.

ANG. putabam cautionem esse de ieiuniis, et caeteris istius generis vexationibus.

PH. Et haec dura sunt, ed duriora illa. Tamen et haec et illa animis optime institutis, et divinitus ad hanc palaestram vocatis, fiunt suavia, molliaque, et expetibilia: secus, si aut rei egestate, ut non pauci, aut animi inconstantia, ut nonnulli, coactus accedas. Splendescit enim, crede mihi, inter iniurias virtus. Plus dicam. Virtutem haudquaquam appellari posse (sit actio quantumvis iusta) nisi renitentem,

{page 37} {p. C iii} Pomilio 2

ac reluctantem hostem admoveris. Apte igitur illud, ut fere omnia, Senecae. Bonum virum ait, deus in delitiis non habet. Experitur, indurat, sibi illum praeparat, ne absque adversario scilicet marcescat virtus. An nescis Angele, prospera in plaebem, et in vilia ingenia devenire? An te latet periculi, et laboris avidam esse virtutem, et non quod patitur, sed quo tendit cogitare? Unde enim scire potes quantum coelestis aggressus sis itineris, quod arduum quidem est, arctum, et difficile, si inter fortunae plausus senescis, nec aliquando vacat considerare virtutis occasionem, esse calamitatem?

Aude ergo dum tener es, et ad capescendum virtutis bonum, es flexilis, et tractabilis.

Postremo (ut aliquid interim dicacitatis senibus dones) superum ne potest esse cui suum non sit inferum? Quando* vocabis lucem, extincto tenebrarum nomine? orientem ne appellaveris, nisi contra obieceris occasum? Molle ne absque duro? Sic et virtuti sua

adversantur contraria, quae sunt caduca, terrena, mortalia, cum illa sit stabilis, coelestis, aeterna. Illi, inquam, lux haeret, vita, iustitia: his Tenebrae, Mors, iniustitia. Utrumvis igitur elige, nam utrunque quemadmodum ubique terrarum, sic in coenobiis vel insignius forsitan invenitur esse. Nanque exploratissimum habuere sapientiores, neminem esse sive Europam, sive utranque pererres Asiam, tam scelestum, tam turpem, tamque execrabilem, quam is est, qui in coenobiis flagitiose vivit. Neque item esse iustiore quemquam melioremque illo, qui licet sub adversitatum malleo ingemiscat, ac in angustiarum

{page 38} {p. C iii v} Pomilio 2

incude diu, et saepe molestiarum forcipe versetur, excelsum tamen prae se fert animum, atque cum Paulo sese laudabili iactat Encomio, non posse scilicet se a charitate Christi excidi, sive rugiat aether, sive saeviat mundus, sive perterrefaciat daemon. Atque de huiusmodi monacho dixere patres quod* facile ab erratis resurgat, cum difficile fuerit lapsus. Quietius aiunt vivit ac tutius moritur. Et de iis hactenus ò Angele. Quid in me cogitabundus? Quae adhuc te coquit cura?

ANG. Cuperem ó Philereme, eam coenobiorum vitam esse, ut et frequentia interdum uti, et interdum a caetu hominum tanquam in portum me in solitudinem recipere liceret, et rursus a solitudine ad homines, et illos quidem eruditos, a quibus ea discerem, quorum praesidio, duae illae res quae plerisque langorem afferre solent, ocium scilicet et solitudo, mihi vigilantiam, et mentis acumen postea in recessibus praestare possent. Quod quidem antiquos coenobiorum cultores factitasse cum a maioribus natu audivi, tum ipse etiam legi. PH. rem profecto te dignam expetis, gravemque, venustam, atque adeo pene divinam, et necessariam. Sed tamen in coenobiis probe constitutis sua etiam inesse oia, ac deserta, scias velim. Tantum abest ut vir coenobii sit alter Mercurius, aut Momus: atque idem sit monachus in claustro, quod aiunt peripatetici esse animam in membris. Quod quidem vitium tantum abesse debet a quiescentium vita, quantum aliud maxime. sufficere plane debet suum cuique vel templorum, vel xenodochiorum mur-

{page 39} {p. C iiiii} Pomilio 2

mur, et strepitus. At summum semper et sempiternum in cubiculis dormitoriis suum habere debet torum quies, et pax. qua concessa, non erit, in iuvenilibus annis praesertim, quod* quaerantur deserta. haec senum sunt, non levium, ut multos novimus, sed eorum tantum, quorum iam occalluit pectus ad quosvis rerum eventus exterarum: Sed et qui in virtutum palaestra diutius exerciti, se satis iam sibi sufficere videntur (nam vir iustus omnia iudicat) ut soli, absque alieno adminiculo, cum hoste congregari aperte valeant.

Quod certe animi robur in excellentissimis coenobiorum Olympiis, non in theatris, et solis marmoreis, et minus inter feras, adepti sunt, deo opt. max. atque IESU Christo vero, et unico tutelari nostro, et servatore benignissimo suppetias ferente, non love atabyrio, ac labradeo daemonum spurcissimo. Sat sit Angele quod dictum est Caetera alias. Massae. Quarto nonas Septemb.

{page 40} {p. C iiiii v} Pomilio 3

Pomilio 3

EPITAPHIUM EXCELLEN. AVALI. IMP. CAE. Ad victoriam columniam.

Chrysogonus. Victoria. Theophilus.

Ab Inarime ó Chrysogone?

CH. Ab inarime secundo flatu.

TH. Quid illic agitur? Quibus se se oblectant lusibus Thespiades? Quibus Minerva?

CH. ab Inarime inquam venio, non ab Helicone, aut Tritonide.

TH. Dicam clarius. vidisti victoriam?

CH. Quid ni?

TH. Qualis tibi visa est?

CH. Seria profecto, non ut vos vestris venalibus elegis confingitis, fabulosa.

TH. Qui?

CH. Ego ó Theophile ab animo, haudquaquam ab ore, pulchritudinem, quemadmodum de Socrate in suo Alcibiade legimus, metiri soleo. In Victoriae enim pectore alii colorem mirentur niveum: ego potius fidem integram, omni ebore candidiorem. Radiant mortales, aiunt, in fronte oculi: sed multo ardentius et mens, et animus.

Cum enim ó Theophile proximis praeteritis novi anni natalibus, apud amicos quosdam meos, viros sane graves, et eruditos caenarem, lauto quidem symposio, sed lautiori honestarum rerum sermone, res est producta, ad concubium usque. Ego, ut tarda mea est natura, ad caeterorum voces intentus, dormitabundus tacebam. Interim vero de victoria colum-

{page 41} {p. C v} Pomilio 3

nia sit mentio, vel ea admodum mihi nova, atque insolens. Aiebant enim deserta Papho, ac Cypro, Inarimem petiisse Venerem. Illuc Musas, Illuc nymphas. illuc etiam glaucas, cum sua Tethy* [Tethys] Nereides ad Delii cortinam convenisse. Quin Orpheum. Arionem. ac Mnemosynem ipsam ad decimam orbis accessisse musam.

Inter haec comatulus quidam a conchiliatis peristromatis de improvise exiliens, Victoriae, et Avali laudes, nescio quas, aethrusca lyra concinere est orsus. ó nugivendulos nostrorum temporum poetas, aio.

TH. Dic sodes, quid?

CH. Heri prospero Austro, insulam adnavigavi: et, ut verum fatear, visus sum mihi prudentissimam adiisse mulierem, sed mortalem: non deam immortalem, ut vos vestris iactatis scizontibus, Choliambisque. salve aio Victoria Christi ancilla.

TH. Quid hac ancillari appellatione sublimius?

CH. Quid vestris mentitis titulis insulsius? Quid vestra Danae, aut lunone imbecillius? Eo ne christianorum processit vecordia, ut vanam illam appellent deam, quam iccirco admirari, summaque cum veneratione prosequi, est aequum, quod* ab omni vanitatis nota, liberam eam esse videmus?

Quid adhuc ad immortalem nominis gloriam deesse censemus, nisi ut ad victoriae cineres huiusmodi ponamus tumulum? Hic musarum, nympharumque iacent, et Veneres, et lepores. Quid oro dicent posteris? unam scilicet Hamadryadum, extinctam esse. Caeterum de Christiana pietate, nihil.

{page 42} {p. C v v} Pomilio 3

TH. quid illa quaeso, ad tuam salutationem?

CHR. Venustissime erubuit. Interim, ut iam ipsam loquentem audias, ex aniculis una, quid sibi vult ait iste intonsus, obstipio capite, pythagoraeus? Illa, ut sua est in Christi servos humanitas, Apagesis inquit, insana. deinde ad me conversa, immortales tibi habeo gratias ait, ó quisquis es qui tam saeverum prae te fers vultum, et ut referre possim, faxit deus bonorum omnium dator, simul ac me tam honorato, quod amicorum adhuc nullus attigit, adornasti titulo. Sed quid meos tam truci aspectu, despectas pedes?*

CH. crepidam illam teretem a sutore illo, Intelligis ò doctissima?

VIC. ad ingenium facile redit Democritus.

CHR. Quem ó castissima libellum tam bellum istum versas manu?

VIC. epistolarum est mei familiaris Pauli volumen.

CHR. ó bene res se habet. Iam ex his quae a nostraribus Epigrammatariis audivi, conceperam animo, te minime in purissimis cubiculis atratam sedere, et tuum extinctum Adonidem, una cum Ezechielis mulieribus lamentari: sed in montibus potius, et sylvis, veluti alteram palladem armillatam venari sedulo, aut ad pellucidum fontem aliquem cum Naiadum choris, arguto te oblectare plectro. quid? omnia, in hac insula, fabularum plena.

VIC. irrides. olim forsán cum meus (ah crudele fatum) dulcissimus in terris vivebat coniunx, fas fuit iocosa aliquantisper sectari: modo autem, meo sublato sole, cuius memoriam cum recolo tota exanimor, nihil amplius admitti lu-

{page 43} {p. C vi} Pomilio 3

bet, nisi seria, et ea quidem quae me a falsis, incertisque vulgi rumoribus, et plausibus vendicare queant. Quae autem de me scribunt indocti, doctique poemata passim, alii videant. Ego vero meo me, ut dicitur, pede metiri soleo.

CHR. Melioribus sane titulis tui amantissimus est usus Avalus de te, ó illustrissima.

VIC. quid oro?

CH. Memini enim me illum in Insubria, iam Phthisi ex longo bellorum labore contracta, pergravatum, circumstantibus amicis dixisse, se se laetum ob multa bene actae vitae gesta, extremum expectare diem: sed ob id unum maxime, quod* se sciret uxorem relinquere sapientissimam, atque eandem pudicissimam: et cui sicut ipse, sic sibi illa, tori fidem inviolatissimam praestiterit. Haec ferme ultima fuere tui Avali verba.

VIC. Et tu etiam meum Avalum agentem animam vidisti?

CHR. Vidi equidem, dixique novissima verba. Tunc enim forte cum Ptolemaeo viro sane gravissimo, atque inter meae patriae cives eruditissimo, aegrotantis assidebam lectulo. Alii me inquit scio, post meam mortem appellabunt Herculem. alii Hectorem. Alii vel scutum, vel ensem patriae.

Alii item et Bellonae, et Martis filium. Sed erit etiam, quod pluris facio, qui me syncerum praedicet christianum. Illos enim titulos, licet ingenio, virtuteque, et viribus acquisitos, hoc negato, perinde amo, atque si me statuam mutam, non hominem fuisse dicerent.

Tu Christe pater omnium pientissime, atque idem gestorum omnium aequissime arbiter: postquam bonus etiam in suo unusquisque extremo vitae termino pavere

{page 44} {p. C vi v} Pomilio 3

dicitur, hanc vilem, sordidam, et plusquam dici potest, vagabundam, tuam tamen, suscipe animam. Atque iis devotissime dictis, cum iam ultimo destitueretur suspirio. Vale, inquit, ó mea Victoria. Felices igitur vos ambos dixerim quos fides integra, puraque benevolentia, etiam* defuncto altero, coniunctissimos tenet.

VICT. Sed felicitus cum meo Avalo est actum. Is enim immortalis, beatusque iam factus, cunctas fortissime exanclavit miseras, nec ulla iam ultra, ut nos afficitur molestia. Caeteri enim, ut sua unumquemque trahit benevolentia, mei Avali canant Trophaea, et triumphos, ego autem tam fidelis corculi amantissimum erga me animum, interim quod* ad eadem cum ipso asciscor bona, et voce, et calamo contestabor fidem.

Quin etiam in hoc solitario scopulo, ad omnem alium amorem degam scopulus. Ille quidem meos primos habuit amores, habeat et extremos: quos plane uti iusta quaedam sacris eius cineribus debita, quotidie libo. Tantum abest, ut meum suavius Philosomatum fuisse solummodo dicam, quandoquidem cum in caeteris, tum in uxore maxime, illa quae prae se ferrent*, veram hominis formam ac dignitatem, se se amare solitus erat dicere. Quis unquam dicat, hoc quod oculis subiectum esse cernimus, hominem esse, et non potius hominis receptaculum?

sanctissimum igitur illud dilecti coniugis, de vera hominis effigie dictum, cum illius qualitatem ac figuram, non ex lineamentis vasculi quo continetur, sed ex factis, et moribus pervideri posse aiebat. Quod licet oris decor, venu-

{page 45} {p. C vii} Pomilio 3

stasque vel a natura ipsa concessa, vel ab arte copiosior facta, viris soleat maximam erga uxores, amoris gratiam conciliare, at multo ardentior vim, et energiam excitare posse iudico eam ipsam, quam dixi in corpore, velut in pixide, latere formam, et figuram. Quae quidem eo pulchrius a castis introspectitur oculis, quo tum is qui intuetur, primo amoris genere a Platone posito, pulchrum scilicet cum videt, ad divinorum contemplationem cor sublevans, in aspiciendo utitur, tum ille, cuius pulchritudinem miramur, ab altera Venere quae sit absque matre generata, ut in Symposio a Platone est celebratum, se probis vitae institutis exortum ostendit.

Porro autem (ut ab alienis me subtraham) neque me illa sublimia sacri Epithalamii mysteria fugiunt, cum sponsam lego a sole decoloratam, sed tamen ut Solomonis pellem, formosam: modo illius genas, genarum Turturis similitudinem habentes, modo mali punici. Rursus illius capilli, caprarum gregi, dentes, tonsorum: sed et labia coccineis vittis comparantur.

Quid tandem? nunc collum sponsae, davidicae turris: nunc hinnulorum capellae symbolum secum ferunt ubera. Quarum certe rerum Elogia de pulchritudine corporum perinde intelligi arbitror, uti si ad animi decorem, vel Topatii, vel Adamantis torquem applicare velis. Iam et si in corporeis lineamentis inesse pulchri aliquid videtur, apta scilicet membrorum figura, cum coloris suavitate, ut a Cic. diffinitur, illud ipsum tamen turpissimum, ac plane foedissimum esse dixerim, verus

{page 46} {p. C vii v} Pomilio 3

si absit ab animo, et decor, et vigor: si quidem illud ab isto pendere, et vim sumere, satis constat. Pro inde speciosissimus ille forma prae filiis hominum Pharisaeae inquit caece, munda prius quod intus est calicis, ut fiat quod deforis est, mundum. Vide quaeso, ò optime, quemadmodum exoticorum etiam de pulchritudine opiniones adeo nostrae adstipulentur,

ut Menander dicat rem esse suavissimam, pulchritudinem, sapiens si adsit mens, atque animus incolumis.

Probe itaque illud, et libere, ut caetera Dyogenis, in quemdam corporis pulchritudinem pravis moribus dehonstantem, ó quam bona inquit domus, sed malus hospes. Sed quorum haec forsán dices, quam quae mulierem deceant, longiora narras?

Ad summam igitur istuc dixisse volo, ut immensum illud gloriae iubar, et munus meo ab Avalo verissimis virtutum dotibus comparatum, id omne ab animi excellentia considerare me credas: neque me tantum oris dignitate, quae pene in illo divina fuit commoveri, neque maritalibus taedis peruri, ut nonnulli suis aliqui eruditissimis, et ab amore profectis, scribere solent versibus, quantum perfectissimis in re christiana ritibus: qui quidem, extincto meo sydere, adeo in me perlanguere, ut nihil iam, ob id unum praesertim, praeter illum desyderare videar.

Hunc enim absentem quero: amo, exosculor, ac castissimus desuavior lachrymis: nec me unquam arbitror, et si tota liquescerem, par pari in amore, meo Avalo posse referre. Cum enim (parcas velim: nam amatrix natura dicacula est) il-

{page 47} {p. C viii} Pomilio 3

lius egregias audio celebrari victorias: non possum, fateor, summo non affici gaudio, sed multo iocundius, cum in deum primum, deinde in Caesarem, deinceps in mortales omnes, atque in me tandem unam omnium desolatissimam, vel abste nostri studiosissimo* [studiosissimo], vel a tui similibus narratur et fides, et charitas.

CH. Vellem existimares ó eximia, non solum mulieres sed et viros etiam dicaces, vituperari solitos: nanque illum a Solomone sapientem dici video, qui sua moderatur labia. Insaniae aiebat Bias indicium est, multiloquentia. Sed de imperitis, huiusmodi Biantis apophtegma iactari puto. alioqui quomodo non vituperanda in sacris authoribus diffusissimum dicendi genus?

Quis facundior, atque in scribendo ex graecis copiosior, vel Chrysostomo, vel Adamantio? Ex latinis, vel Hieronymo vel Augustino? Nunquam fuit, apud antiquos praesertim, non laudata plena, cum eruditione copia, sive a viro, sive a muliere profecta fuerit oratio.

Praeterea quis suavior animi conceptus cum illo aequiparandus, cum is qui loquitur ab eruditione, a Virtute* [Virtute], ab amore demum auspicatur orationem? Ut tu nuper ò Victoria, cuius sermonis adeo oblectatus sum, tum copia, tum lepore: ut post hac* [hanc], lacones omnes licet doctissimos, negligam.

VICTO. ut maximae es modestiae loqueris ò vir dei, meo scilicet consulens pudori, et famae.

CHRI. Sed ad Avalum nostrum revertamur quem nostri temporis vates, Mavortium appellant. Mallet

{page 48} {p. C viii v} Pomilio 3

Christianum aliquem imperatorem, et illum quidem optimum, cui comparandus esset Avalus elegissent: ne dum illi fortitudinem tribuunt, auferant pietatem: quam sane dux ipse comprimis amavit, ac feliciter est assecutus.

Rarum certe quoddam est, iuncta cum fortitudine probitas. habuit tamen perfectissime et hanc, et illam noster Avalus: ex qua immortalem, et apud hostes ipsos etiam, in terris adeptus est gloriam, et splendorem, apud deum vero bonorum omnium cumulum

perfectissimum, beatitudinem scilicet, quae est, ut a Paulo accepimus, revelatio gloriae magni dei.

A quo quidem, quicquid roboris, quicquid animi, quicquid disciplinae militaris, quae maxima extitit: quicquid virtutis, quicquid suavitatis, quicquid prudentiae tandem, in elegantissimo tuo viro fuit, et originem, et incrementum habuit. Verum enim vero dubito ne dum satis nunquam laudati laudes commemoro, lessum paulatim, monodiamque per aulam exoriri sentiam.

Asserventur itaque quietissima tui Avari ossa, donec ad immortalitatem cum tuis ó Victoria, felicissime excitentur. Interim autem si lubet, homini notetur tumulus, exastico. In quo prima, media, atque extrema considerentur elementa.

Avalus heroas terRis qui reddidit ortU

Vinceret ut semper iuncta Est Victoria, que* si

Aucta viri rebus bene Gestis, iam dea nostram hanC

Longe odit vitam, quid Ni? cum coniuge caelo esT

Victores cumulant sit Ambo sydera, et ambO

Sub pedibus viva hec, exTincta ille ossa, tuentUR.

{page 49} {p. D} Pomilio 3

Vides ó Ingeniosissima* [Ingeniosissima], ingeniosi poetae exasticum? poetice forsitan lusit nimium. Sed in seriis etiam rebus non nihil aliquando delicatiori nasutorum consuetudini obtemperandum est.

VIC. Nisi vereretur tuam censuram ò stoice, elaboratissimum quidem Epitaphium dicerem e pegasea ungula decussum, adeo ingeniosum visum est, lepidum, et dignum sane quod* mei Victoriavali tumulo scalpro incidatur adamantino.

CH. neque pegasus: neque, quod sciam, hippocrenem adiit unquam Theophilus: Sed lucrinum. quid sibi vult nomen victoriavali?

VICT. Victoriavalum, meum Avalum vocare libuit, simulatque Epitaphium audivi, vel ea romane, ac iure, quo graeci, cleantem, phreanthem, appellavere. Quid mussas? non apte quidem compositum esse?

CH. non hoc.

VIC. quid igitur?

CH. quicquid est dicam: subita enim, ac parum meditata a prudentibus raro proferri solent.

Audi itaque quomodo cum hoc tuo formato nomine, pium etiam tui viri bustum, exornari queat. Maiora igitur adverte elementa.

Victoriosissimum

Imperatorem

Caesareum

Terrenarum

Omnium

Rerum

Instauratorem

Avalum,

Victoria

Amantissima

Legitimaque

Uxor

Sepelivit.

{page 50} {p. D i v} Pomilio 3

VICTO. Quantum maximas possum vobis ago gratias, etiam mei Avali nomine, qui nos ambos hodie tam honoratis extulistis encomiis.

CH. hoc totum referendum unde emanavit.

VICT. a deo?

CH. Sic aio.

VICT. ò vos beatos qui nostis rerum origines, atque originum authorem. Quotus enim quisque est, qui illo in deum affectus sit cultu, et amore, ut non plus fato, aut naturae, id quidquid est, quo a belvis se se distare sciat, acceptum referre velit, quam ipso summe maximo? Quid habes, inquit, meus Paulus, quod non accepisti?

CHR. Vale viduarum specimen.

VIC. Et tu anachoritarum archetype.

CH. Sed ut ego etiam cum Theophilo aliquid, mea manu, Avali sepulchro minus poeticum affigam, sume ò anus quae me nuper appellasti pythagoraeum, atque caera angulis addita, Mausoleo appone.

Armorum decus hic terRorque invisitur, heus tU
Vota ducum referas dux Et veterane potentl.
At qui tanta animi bene Gesta examinat, isthaeC
Laurum, thus phaleras fraeNa ignes, armaque temniT.
Verum hic applaudit niveA quod* mente, quod aequO
Straverit ingenio phlegeThontis cornua victoR.

{page 51} {p. D ii} Epistle to Anchorites

Epistle to Anchorites

EPISTOLA SANCTISS. ANACHORITIS in Hispaniae recessibus, ac oceani litore degentibus.
Chrysogonus anachorita. S.P.D.

Olim patres magnus ille vates Elias impiissime lezabelis iusiurandum veritus, in asperas profugit solitudines, ubi sub una iuniperum conquestus dei prophetas iri perditos, amarissime flevit. Altaria inquit tua destruxerunt: Prophetas occiderunt: et derelictus sum solus. Vereor enim patres ut si tanti viri personam mihi effingere velim, impudens dicar: ex nostris etiam* nonnullos extitisse lego cum magnis parva, et ut aiunt, cum Elephento muscam conferre qui tentavere: patiar et ego aliquantisper cum illis in hoc genere* impudentiae peccare, ac illudi quoque: atque interim sub una mei surrenti olea conquerar, et clamabo ad deum altissimum.

Quin lamentabor solitudinum deserta nulla iam esse: periisse eremi nomen, et me miserum post tam perditam meorum ignaviam, superesse et vivere: quamvis huiuscemodi in luctu vitam, mortem libentius appellaverim paululum spirantem, quam* vitam integram. Sed optime cum mundo iam agi scire possumus, postquam ab aerae tenuis sibilo vox prodiit, quosdam sunt* etiamnum validos in hispaniae finibus latitare viros, quorum genua non sunt incurvata ante Baalamum: et quos nundum attigit Acabi furor. Tantum igitur utrique

hesperiae decus gratulari non dubitaverim. Vestrae quod* licet occidua sit, ortum tamen ipsum, et fulgore, et claritate superare videtur:

{page 52} {p. D ii v} Epistle to Anchorites

Nostrae autem, quia quae nunc aegrescit, et in dies magis denascitur, ad vestrae nomen, atque exemplum, reviviscet aliquando, et pristinos reaccendet ignes. Preterea aestate proxime quae abiit, cum in leborino quodam secessu, Mileti essem, quidam senex hispanus, vir sane eruditus, et, ut mihi videbatur, sacerdos minime superstitiosus, mihi fuit obviam. quem plane apparatu, non regio, ut olim, a Massanissa Scipio est acceptus, sed illo quo in eremis usi sunt patres nostri acceptum, nihil mihi potius fuit, quam* de hispaniarum coenobiis percuntari: illi, quam* me de recessibus italis.

Multis itaque verbis ultro, citroque habitis, ille et alter ferme consumptus est dies. Postea vero, ad sui ordinis viros, Neapolim profectus est, pactione prius* hac inter nos firmata. Ut cum primum idoneos nacti fuisset tabellarios, huiusmodi sermones inter nos habitos, transmittere curarem: Ego ad vos, Ille ad suos, existimans, credo, se sui instituti viris admodum, ut ipse aiebat, laxis, fore ut iniiceret scrupum.

A me autem cur simile exegerit, non video: nisi forte praesenserit vir acer, et acutus, me minus malum, minusque indoctum evasurum, simul ac vestras sanctissimas, ac eruditissimas, accepero litteras. Parvi igitur Theolepto homini sane et vita, et doctrina insigni, tum ob multa, tum vel potissime ob memoratam proxime rationem. Quid quaeso mihi magis expedire putem, quam* ab illis ipsis viris, qui Christi sensum calent institui, atque impendio erudiri? quod ut agatis, per sacra vestra nemora, per silentes ripas, per

{page 53} {p. D iii} Epistle to Anchorites end

coelites omnes, per deum tandem benignissimum nostrum, qui in vobis anachoritici nominis pene obsoleti, vim adhuc vegetam, lumenque vividum conservat, vos iterum, atque iterum rogo, obscecro* [sic, obsecro], obtestorque. Valetate in Christo Iesu, quem multis modis a me offensum: vestris mihi precibus* reconciliari posco: atque oro. Idibus novemb.* Surrenti.

Pomilio 4

UNAM ESSE AD BEATITUDINEM VIAM.

Phileremus. Misoponus. Theoleptus.

THEOLEPTUS.

Quantum me tuae sortis miseret ò senex. ut video, nemora, et solitudines prope nihil scientiae afferunt solitariis. Quid adhuc ac si puer esses, aut anus, hasce ligneas, vel ex succino, et ammoniaco, submurmuras oratiunculas? Non displicent quidem perones etiam decies resarciti: placet atrita* [errata corrects atrita] vestis: placent incompti in barba cani. Sed, ut cum venia tua dicam, displicet ignoratio.

PHI. Mirabar fateor, et ex equorum strepitu, et ex armorum fulgore, urbis latrunculatorem adventare putabam. Sed, ut video Sacer es: cui autem* coelestium non conicio, nisi lutosum exuas pallium. At hi qui sunt?

THEO. Centurio urbanus. vix enim aliter, in campania tutum est iter.

PHI. Heus bona verba precor: Vulturnum transgressus es, ne time. leborinus enim is est ager. omnium tutissi-

{page 54} {p. D iii v} Pomilio 4

mus: et qui viros alit humanissimos, ac hospitum amantissimos.

TH. Faxit deus ut reperascas primo/ prae*, et tuae edentulae reviviscant gingivulae, adeo me hodie ingenti liberasti sollicitudine. Vos abite milites vobis postea relaturus, modo habeo gratias: nam in portu navigo. abierunt.

PH. bene actum est. Tu pusio procurre, et meridiana fac ut parentur refrigeria: Cucumeres, Cepas, cum Portulaca, audin? et si vacat, Lactuca cum Thrialli, et Nasturtio, fac addas.

TH. Papè cum Nasturtio. acutiorem enim vim habet quam* ut, instante canicula [errata from cannicula*], vesci debeas.

PH. tua erit lactuca, meum nasturtium: nam si me aspicias, omnium ciborum homo sum. Dici non potest, ò hospes, quantum hodie lucis, ex adventu tuo, me assecuturum sperem. Quam censes in me esse posse veritatis cognitionem, nimirum homine a teneris inter feras, procul a sacris ritibus, proculque a templis, habitante? hinc enim abest disciplinarum cultus. abest peritorum frequentia. et librorum delitiae, hoc uno excepto, quem ut vides, vix iunco vinctum teneo, adeo dissolutus est: hanc nostram perhorret solitudinem.

TH. ò te beatum, cui tota integra est dies, et liber animus, ad quodvis* agendum. O vitam solitariorum vere absque curarum salebris, et terrenarum cupiditatum pedicis, ad coeli iter expeditissimam. hoc enim* a gemmatis nostris, et marmoreis distant tectis sylvarum secreta, quod a speculi concavitate, convexitas.* haec quidem integram, ac rectam: illa mutilam, et resupinam ostendit hominis imaginem, optime profecto illud iactat vulgus Platonis. quamdiu, inquit, mortalis sine deo erit, tamdiu laboriosam, miseramque vitam ducet. Principio enim, ut Paulo altius res nostras* repetam, ex rerum exter-

{page 55} {p. D iiiii} Pomilio 4

narum inopia, et internarum lautitia, tunc dico cum nudam virtutem prisci, personatae praetulerunt: atque omne in adipiscendis rebus qui/ quae* animi sunt, non agri, studium fuit: nostra florebat respublica ex qua mirabiles erupere fructus, viri scilicet* perfectissimi: et in omnibus qui ad veram, germanamque summi dei spectant pietatem exercitatissimi. Tunc enim.

PH. Amice si lubet a recta parumper secedamus. Et, dum solis ardor fiat mitior, aut sub orno illa umbrosa: aut, quod* [qd'] malim, in meo agello plantarum omnium feracissimo, animos mutuis consolemur colloquiis. Multi enim in eo sunt mei laboris fructus: Sed cum primis iam nunc pruna maturescunt ordearia: et claudiana poma. Coccimelum una cum praecocibus* melimelis, iam mitiis nihil pendimus.

TH. Vah quam varia hortensia. Vide quanto ornamento sint hisce acetariis, etiam* haec bulbatia, et intubatia. Sed quos video tui habitus viros?

PH. sunt comites, et solamen meae senectutis. cum his enim meis paucis simmystis, ardentius vigiliis psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus*, ut monet Paulus, invigilo, et nostra* inter nos solamur taedia, quam* plerumque solitariis afferre solet solitudo. heus geminos afferte ó viri tripodas, illos inquam quos nuper e' [ex]* Zizimo tempestate diruto, edolavimus.

TH. Hui tam graves quaeso? Sedete et vos viri optimi.

PH. Quid est amabo Misopone quod* [qd'] propter* Tripodes attulisti?
MISO. nostrae vitae canones: quos casu, in risco, dum aliud quaero, repperi.
PH. oh per belle actum est. Ex his enim dicendi aliquid, quod* [qd'] ad rem nostram faciat, materiam sumito, o' Misopone. Tuarum quippe partium erit, capitum dumtaxat titulos appellare: nos autem

{page 56} {p. D iii v} Pomilio 4

ambo, alternis versibus, veluti ut quondam pastores in bucolicis, suos deplorabant amores, aliquid tum ad Eremum, tum ad Caenobium, quod attineat, enarrabimus.

TH. nihil quidem magis opto. Sed gratius esset si tu solus.

PH. Ego ne solus? suaviores enim, nescio qua arte, duplicatae fistulae forment concentus.

TH. ut vis. Ego ut indoctior: ad sacros confessus ineptior, utar Laconismo.

MISO. Exordium esto ab ab [sic] amore.

PHILEREMUS.

Quantum excellit Abies inter Viburna: tantum inter caeteras virtutes caput extollit charitas. Haec enim virtus illa est, quae sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur, nunquam excidet. Vir quidem ille qui deum per se cum primis, proximum deinde ex animo diligit, is in deo manet, et deus in illo, quae est vera beatitudo. Unde filius ad patrem orans, sicut inquit, ego et tu unum sumus, sic isti unum nobiscum sint. Quid felicius, quam amore sequestro, nobis integrum fore, deos fieri? Non forum, non rostra, non clamosi iudices, sed amor, huiusmodi licitatur mercem.

Videte igitur ó socii quid salutis afferant, vel ligones, vel rastra, mutua neglecta dilectione, et benevolentia, cum virtutes etiam altissimae animi, absque hac, vanae existimentur, ac umbratiles. Examinandae sunt itaque mentis affectiones, ne nos fallat hostis. quid? Ipsa quoque negligenda est salus, si fieri potest. [errata corrected punctuation from "?"] quam is tantus, quo caelestis [coelestis] naturae participes efficimur, ledatur amor. Nostris enim diebus

{page 57} {p. D v} Pomilio 4

vidimus quosdam in occandis glebis, et serendis hortulis adeo, intendisse animum, ut mirum immodum excandescerent in illos, qui secus, altius scilicet, et beatius, in optimis vite studiis, quibus cum ipsa versatur charitas, operam navarent. Errabant igitur, ac in bonarum actionum delectu faedissime hallucinabantur. Sic, vel apud eos qui prae se ferunt omnifariam vitae perfectionem, confusa est pietatis opinio. Sed quisquis ille est, cui sal istiusmodi, quo caetera condiuntur caelitus dona, defuerit: amanter rogandus erit: eradendus etiam a caeterorum conventu, nisi resipuerit. Quid enim cum ecclesia dei illi, cui non placet amor Is, qui deus est? dixi ó MISOPONE.

MISOPONUS

Alter subsequitur titulus de Castimonia.

THEOLEPTUS.

Illud profecto quod est inter odorata Balsama Cirthacum, vel inter unguenta, Megalium: hoc in virtutum odorem est Castitas. Haec est enim voluntas dei sanctificatio nostra, aiebat Paulus: siquidem non nos vocavit deus in immunditiam, sed in sanctificationem. servanda est igitur caro ab obscaenis, sed multo magis cor, dei utique templum. Ex eo enim bona, et mala, originem habent. Proinde quia fere semper ex usu ipso consuetudinis, occasio sumitur peccandi, cum saepe alias, tum vel maxime in huiusmodi genere delicti: per antiquos patres admonemur, huic morbo antidotum esse, si non expectetur vulnus, alioqui immedicabilis, cum turbis, ac frequentia

{page 58} {p. D v v} Pomilio 4

hominum delectamur. succurrendum itaque esse tanto periculo, fuga, et illa quam citissima. Quam ob rem danda est opera, ne quis ex nostris facile se se turbis ingerat, quibusdam potissimum statis diebus, quos vulgo partim sacros, partim martios appellant. In iis enim quotannis ad nos, religionis causa, perinde ab omnibus ferme itur, atque ad Emporia solent ob nundinas. Ex quo amplissimus mulierum numerus. Vereor nonnihil, an, ex sacris aedibus, fiant bonae deae pro Clodio latibula. sed heus tu qui intra mysteriorum cortinas, deum in silentio quaeris, hoc omni belva perniciosius fuge animal.

An nescis homo fragilis, quod* oculi sunt in amore duces? an te latet solo aspectu transigi posse adulterium? Siquis igitur tam procax fuerit, ut eius generis veneficii sponte occasiones nanciscatur acriter puniri debeat: dignum enim eum esse mulctam, qui ultro casum quaereret, dixere patres. At inter nos maturioris, tum aetatis, tum prudentiae deligi solent viri, qui securius tantam multitudinem, et verbo, et aliquo itineris solatio, vel pascunt vel solantur. Caeteri vero suo sibi fruuntur ocio, et quiete. Sed iam excessi laconismum.

MISO. laudabilis prorsus excessus.

Tertius erit de obedientia titulus.

PHILEREMUS.

Scimus, aiebat Paulus, quoniam quaecunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur. legem hanc esse Evangelii, arbitror: cui qui obtemperat, deo obtemperat. Et si quid in undis maris, praeeminet decumana, eodem modo

{page 59} {p. D vi} Pomilio 4

in politicis virtutibus assurgit obedientia. Quae quidem eo perfectior, quo magis evangelio coniunctior. Et, ut audacter dicam, quicquid ultra est, errare existimo, ac turpiter labi. Quod si nos latet, quid sit Evangelium. Bonum est nuntium. Nonne bonum est nuntium aiebat, Chrysostomus, cum et remissio peccatorum, et vita aeterna promittitur? Totis igitur, ut aiunt, nervis, Evangelio parendum est in primis: et illis ipsis deinde quos ipsa sancta lex approbat: inter quos summus Pon.* primas tenet.

Porro autem si quid etiam alicui ex nostris tribuendum est, in his solummodo, quae ad mores spectant, obtemperandum: sed nec in illis omnino, si ab Evangelio disideant. Tantum abest ut alta vitae instituta, et ingenua animi exercitia, ob immodestos quorundam mechanicos usus, et nullius momenti apparatus, ab instituto avocentur. hoc enim ad

servilia: illud ad ingenua attinet ingenia. Consyderandum semper est, an hortorum an animorum cultores asciscat Eremus.

Excelsae quippe, ac supramundanae ars haec est vitae, non agriculturae, et stercorationis. nam laborem corporis, ac defatigationem membrorum parum utilem esse, aiebat Paulus pietatem vero animi, omnibus conducere. Sed quam esse pietatem censemus o hospes? dei certe cultum, qui in adytis animorum ponitur, in spiritu scilicet et veritate. Et de obedientia plusquam satis.

MISOPONUS

Si capitum ordo servandus est, quartum erit an fas sit illi qui istiusmodi nostri semel candidatus instituti, se se

{page 60} {p. D vi v} Pomilio 4

christo abiuratum esse fatetur, domos, aut agros, et huius generis alia, quibus certam teneant spem victus, possidere.

THEOLEPTUS.

Coniectare non possum quid in mentem venerit legum huiusmodi nostrarum conditoribus, qui cum formam vivendi eius generis hominibus traderent, quorum mores et vita, quo longius ab apostolorum orbita disiuncta esse, eo minus tam sublimi titulo digne esse iudicantur, eisdem ipsis, non modo predia, et agros: sed munitissima quoque municipia, et colonias, habere permittant. Iam et illud sacro illi christianorum caetui peculiare fuisse, omnium scilicet bona, ex domorum, et variae suppellectilis venditionibus conflata, in mutuos omnium usus accommodasse, Lucae acta referunt. quod autem trituras, et armenta curarent, nusquam lego.

Quod quidem et Philo iudaeus in libro quem de vita Theoretica adtitulavit, commemorat. Renuntiabant, inquit, cunctis facultatibus suis, quibus intererat, qui se ad huiusmodi philosophiam dabant. Tum deinde omnes etiam vitae solecitudines procul abiicientes, egressi extra urbem, in hortulis, vel exiguis agellis degebant, refugientes imparis propositi consortia. non cibus illhuc, non potus apportabatur: sed divina solummodo eloquia. Et post multa, loquens de eorum ardentissimo in deum affectu, sic ait. Ab ortu autem diei usque ad vesperam, omne eis spatium studiorum exercitiis ducebatur, quibus ad divinam

{page 61} {p. D vii} Pomilio 4

philosophiam per sacras litteras imbuebantur. Aurea profecto institutio, qua verae pietatis culmen est erectum. Docte igitur illud a Cipryano omnium doctissimo. Christus, inquit, pauper, discipulos divites aspernatur pauper mater: pauper filius: inops hospitium, iis qui in forma huius scholae in Ecclesia militant, praebet efficax documentum. Ad haec non video quomodo illam animorum aequalitatem, quam in ipsis antiquis patribus fuisse legimus, ut par est, servari possit, cum et deo summo, et Diti simul mereas. felicissimum crede mihi opulentiae genus est, in hac parte inopem effici. Et de hac re hactenus.

MISOPONUS

Iam quintam sibi vendicat sedem, solitudo.

PHILEREMUS.

Solitudo, ò vir optime, perinde solitariorum animos afficere solet, uti edulia stomachum, nam quod saepe uni noxium est, et lethale, id alteri prodesse videmus: quam ob rem, suo se quisque pede metiatur, ut est proverbium. Scio quidem scriptum esse, sapientem nunquam solum esse. Scio et illud, neminem esse cui non satius sit cum quolibet esse, quam* secum. proinde quid infelicius? quod bestiis tam simile quam solitarium solum est?

An solum illum censemus, qui solus sicca secum spaciatur arena, vel qui trunco aliquo inclusus, animo ipso caelum metitur? Vestigat? intelligit? complectitur? habet enim secum omnes qui sunt, et fuerunt boni: et animum liberum quocumque vult, profert, et transfert, et quod corpore

{page 62} {p. D vii v} Pomilio 4

non potest, animo complectitur. Verum in his assuefacienda est mens, et intellectus, quae hominem solum nunquam sinunt esse. et vere is solus est, licet in frequentia versetur hominum, qui cum deus non est, hoc est optimae animae cogitationes, et de quo illud merito canitur elogium. Unus homo, nullus homo. Crates enim (ut interim inter lilia carduos spargamus) cum vidisset adolescentem secreto ambulante, heus inquit puer, cave ne cum homine malo loquaris. Mirabili profecto documento ostendit Crates, hominem posse cum homine malo loqui, etiam si solus sit.

Vidi enim quosdam mei nominis viros, vel in texendis cistellis, et coaxandis sportulis: vel in decorandis hortis, transferendisque plantis, omnes horas profudisse. At si forte iuncorum, virgultorumque ob inopiam, vel ventus, vel imber fecisset ocium, deus bone, quantas oscitationes? Non sic quidem turbo, tam crebris agitur vorticibus, et giris, ut eorum animus, quibus demptis manuum artificii, nihil operandi reliquum est. quantum me miseret istiusmodi gentis.

MISO. Manibus iam olim tetigi, cum essem in monte Conaro, in Piceno, quae nunc recitata sunt a te, ó Philereme. Et quia de solitudine in quinta sede dictum est, in sexta de hospitalitate dicendum erit.

THEOLEPTUS.

Mirum quantum in hac parte homo homini sit deus. Unde scis, ait Ambrosius, an cum recipis hominem, deum recipias? Sed hoc, ó praeclare, gratius erit beneficium, si fue-

{page 63} {p. D viii} Pomilio 4

rit promiscue collatum. Item ne hospitii iura obliviscamur, cum millies alias inculcat Paulus, sed tum libentius cum ait.* per hospitalitatem placuerunt quidam angelis, hoc est hac humanitate affectis. Placuerunt et haec benignitatis officia barbaris etiam, et exoticis: adeo Ut Homerus diceret, et hospites omnes, et pauperes a deo esse. quicquid enim quod fratrem adiuvat, et beneficio levat, egeris: dummodo ex animo feceris, deum promeritus es. quo habito, mirum si sit aliud quod desideres, aut quaeras.

At nescio qua mortalium caecitate sit factum. dicam? Ut a pace: ut a iustitia: ut a charitate: ut a parsimonia horrent plerique, etiam sacri capitis viri, sic ab hoc humanitatis fonte turpiter dilabuntur. Quotus quisque est, qui magis ex animo, erga hospites, quam erga sordidos sui agri villicos, et gregis opiliones, comoveatur? sed de his plusquam satis.

MISO. Adest puer cum Eremitiis delitiis.

PH. tam onustus? ut lubet, et quidvis sume ó Theolepte.

TH. sat sit cum frigidae cyatho, Vinaciolae racemus. hem quam suavis. quam tenax. quam caereus.

PH. Et si nostra haec ociosa regio inter caeteras Italiae, habeat vinorum palmam: tamen ex longa eremi consuetudine, Abstemi sumus. quod quidem an apud vos.

TH. papè apud nos. nimium enim ex fontium usu lassescunt* stomachi: et abest noctu somnus. quam ob rem non desunt, et est diis gratia, vel Chia, vel Pompeiana, vel Lucensia etiam nigra, si qui sunt qui alba horreant: vel Geminianensibus quoque abundamus, quae oenophoris transferuntur. En toto me prolui Cri-

{page 64} {p. D viii v} Pomilio 4

stallo. nunquam enim suavius bibi.

PHI. ah facete, est dictum.

TH. Qui sic?

PH. in mentem venit rex Darius cum illam tam foedam humi pronus, hausit aquam, dicens quod tu modo.

TH. legisse memini. Sed quando placet, ó optime, ablatis amphoris, intermissum revocemus sermonem.

PH. haec puer tolle impedimenta. Tu Misopone canistrum apta, ne effluent fruges.

Pomilio 5 (page 64; p. D viii v)

PHILEREMUS. MISO. THEO.

Multe sunt res ò amice, quibus mens hominis natura inconstans, et vagabunda, nodari: ac sanctis quibusdam loris, et manicis astringi, cohiberique solet. Sed efficacius semper mihi visum est, atque tenatius vinculum illud, quod ex frequenti, et iugi bonarum retum/ rerum* collatione, atque usu, connectitur. hoc enim remedio usi sunt patres in eremis ad fraenandam animorum vivacitatem, adolescentium maxime, utpote ad petulantiam magis, et ad varias appetentias, proclivorum.

Ex quo quidem studio, tanta in illorum actionibus conflata* fuit vel constantia, vel doctrina, ut parum fuerint desyderandae stoicorum scholae, si ad arduam, bene, perfecteque vivendi, regulam aliquis se se accinxisset. de primis autem ecclesiarum institutis quid refert ratiocinari: cum tam sublimis, pura, atque ardens in eremis cerneretur conversatio, ut illos vere apostolicarum actionum simias extitisse, fama nusquam non celebris fuerit. Tantus erat fervor, et in excellentissimis

{page 65} {p. E} Pomilio 5 end

contemplationibus, et amor, et disciplina. Sed de istiusmodi semideis nefas sit*, et religio, immundo ore laudes commemorare. sat sit* igitur cum lachrymis, et a longe illorum mores

admirari potius, quam velle sequi. Itaque ut sanctissime admones, interruptos repetamus sermones: et ut caeperamus alterna fastidia alternis, ut sic dicam, calamis, ac tibiis, levemus.

MISOP. In septimo lex datur de aegrotis.

Pomilio 6

PHILEREMUS.

Nullum enim maius solatium christiano ultimam agenti animam praestari potest (modo medicamentarium non desit subsidium) quam illud quo etiam vita defuncti reviviscunt, verbi scilicet dei. At non omnium est huius sanctissimi pabuli synceritatem ministrare.

Propinandum est igitur aegrotis, atque extremum suspiranti, veritatis edulium: non fabulae aut neniae. Centies quidem inculcanda sunt haec. fide nos salvari. salutem dari gratuito. pretio magno comparatum esse hominem. a christi vulneribus vulnera nostra curari. deum factum hominem, et eum ipsum advocatum, ac iudicem: fratrem demum, benignissimumque propitiatorem. Quod pectus tam ferreum, et triste, quod non emollescat his auditis: et potissimum si surdis, ob fatum propinquum, auribus imprimatur, mortem nos a malis abducere: et eandem aerumnarum esse requiem, haud cruciatum? Caeterum si contingat anxium ab humanis discedere, summa ei cum religione praestentur in-*

{page 66} {p. E i v} Pomilio 6

feriae, et mystica parentalia, ut est laudabilis in ecclesia dei, consuetudo. Tantum abest ut Praefica Monodiam, aut lessum canat.

THE. Mira narras: et nova. ad memoriam potius in primis, ultimum parturienti spiritum, adducunt, an testamentariae sint sub pulvino tabulae. an obsignati codicilli: vel petenda haereditas sit donationis iure, an in legatis fideicommisso censeatur robur. ó impiissimam vivorum in morientes, pietatem. Sed ó stultissimam testatoris moram. Nostri aut melius. quamquam nec ipsi quidem integre.

Cupeperem* [cuperem] enim syncerius. Aliquid certe est contra patrum decreta, sola aliquando itum esse cubitum interula: vel crepidas, aut soccos sumptuosiores gestasse aliquem. Sed ponderosius esse arbitror, si eorum recordetur aeger potius, quae spem afferant: et fiduciam, quam metum, ac desperationem.

PHI. Et haec non contemnenda sunt* ó Theolepte. verum an magis morienti expediant ea ipsa, quae tu dicis: vel quae ego supra memoravi, iudicent sapientiores. nunc ad reliqua. ò Misopone.

MISOPONUS.

A datore legis admonemur, crebro confessionem fieri, sacerdoti.

THEOLEPTUS.

Et Crebro inter nos Exomolegesis sit sacerdoti, Sed prius deo. de hoc enim laudabili, atque utili confessionis usu, habemus patrum decreta cum alias, tum maxime in distinctionibus de poenitentia. Quae quidem et si dissentire invicem vi-

{page 67} {p. E ii} Pomilio 6

deantur, tamen condonandum esse aliquid graecis, et in eorum opinionibus, ac ritibus connivendum, semper opinati sunt patres. Ea enim gens a nostris nonnihil discrepasse semper visa est. Quapropter ne oberretur, et ne qua nova subrepat doctrina, caute id servandum est, quod a multis animis iam inter christianos consenuit, et maxime in re tam utili ac necessaria. nemo vos inanibus seducat verbis, aiebat Paulus. Est enim lex: Si peccaverit, inquit, unum aliquid de istis, pronunciet peccatum, quod peccavit.

PHILE. In omnibus profecto, fortissimo occurrendum est obice, atque ariete, illi novo monstro germanico.

THEOL. quid agendum?

PHILE. doctiores videant. quantum ad nos: assidue, rogandus est deus, ne ab Oceani litore, et Reni ripa, ad nos usque advolet, tam pernitiöse dulcis, olor.

THEOL. Mirum nisi iam in Italia struxerit nidos.

PHIL. valeat et ipse, et qui cum ipsa alite, tam periculose garriunt. Ad rem nostram.

MISOPONUS.

Iam tandem perventum est ad totius laboris nostri metam, et terminum, orationem scilicet ó Philereme.

PHILEREMUS.

Vah istuc enim est, quo dies nostri pauci, et mali: nostrae insomnes noctes: nostrae lucubrationes: nostrae abstinentiae: nostra suspiria, nostri sudores, tot deniquae [sic] istius mi-

{page 68} {p. E ii v} Pomilio 6

serabiles vitae, et clavi, et cruces prospectant. Qui nempe alium sibi sui cursus finem statuerit sive in claustris, sive in eremis versetur, tota errat via, et absurdissimum committit soloecismum. Quis unquam tam necessarium solitariorum taedio, et inediae pabulum, laudandi modus erit? quid? Tam integer, absque hoc membro, sylvicola esse potest, uti columna sine base, aut navis sine temone, poloque ammisso.

An vero in lignonibus, vel in ritibus multo costo redolentibus, melius quam in libris, et in ocio, tam suavis inveniatur liquor, et Ambrosia, quam nemo nisi dii, et filii excelsi omnes degustare possunt, videant hi, quibus agiliores sunt manus ad Sarcula, atque ad Iripices, ac in contractandis Impluviis aureis, quam animus, atque mens ad ea quibus delectatur deus, qui spiritus est, et in spiritu adoratur.

O ter, et eo amplius felix vir ille, qui prorsus in deum conversus, ac in flagrantissimum eius amorem, ardentissimo transformatus affectu, totus ardet, totusque flammeus effectus, illud, laetissimo cruciatu, encomium de se concinere praesumit, Defecit cor meum, et caro mea ò deus. Huc quaeso nostri recessus, nostra nemora, nostra silentia ó Misopone.

MISOPONUS.

Nae merito post suavissimum orationis nectar, eiusdem suavitatis poculum subiunxit noster Moses, an videlicet Convictores sacra vacare

{page 69} {p. E iii} Pomilio 6

debeant lectione.

THEOLEPTUS.

Quid de sanctarum rerum lectione sentiat Paulus, facile est coniecturam fieri, cum ex scriptis eius ad diversas orbis regiones epistolis, tum vel potissimum, ex ea quae est ad Thimoteum prima. Omnis inquit scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, vel arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit homo dei ad omne opus bonum instructus. demum ò vos mei ordinis Mystae, qui tam inconsyderate vilissima quaeque divino litterarum ocio praeponitis (heu horas male collocatas) quae rogo vita, ut ait Hieronymus, esse potest* sine scientia scripturarum?

Ec quid vos latet, ignorantiam scripturarum, ignorantiam esse Christi? Iccirco vel legendum, vel audiendum aliquid semper est: nedum cum cibum sumis. Illo enim mortali, putido, ac nauseoso, mortale, putidum, nauseumque corpus saturatur edulio. Hoc immortalis, odorifero, ac felici, impletur animus, et mens, portio utique nostri melior. Sed pars haec comptior est, quam quae nostris ornari debeat verbis.

MISOPONUS.

Iam ad spatii calcem properat canon, in quo quaeri debet, an promiscue cibis, ac ieiuniis, debeamus uti, an cum delectu.

PHILEREMUS.

Vera profecto libertas christiani, cui mundo, et puro nihil sordidum in esculentis esse potest. Et licet sit iudeorum mos, observare dies, men-

{page 70} {p. E iii v} Pomilio 6

ses, et annos. Tamen sunt et Christianis sua tempora, quibus parsimoniae, ac abstinentiae vacent, aetas scilicet tota: quae quidem universa, Christi passionibus unita esse debet. Est sane inquit Adamantius, libertas christiano per omne tempus ieiunandi, non observantiae superstitione, sed virtute continentiae. ieiuna ait, ab omni peccato, nullum sumens cibum malitiae. Et hoc est verum, germanum, et evangelicum ieiunium.

Abstinerere autem a cibis quos deus creavit, ut sentit Paulus, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et hoc facere cum crucifixoribus Christi, acceptum esse non potest. Iam quod bis in aebdomada praeter quadragesimae tempus, quod quidem divinitus asserit esse mandatum, etiam suis temporibus abstinerent Christiani, meminit iis verbis. habemus inquit quadragesimae dies ieiuniis consecratos, habemus quartam et sextam septimaneae, quibus solemniter ieiunamus. hactenus Origenes.

Non ieiunium igitur, non abstinentia, non nuditas, non villosae subuculae, non ex, aere subligacula, non quicquid male afficit corpus, virtus est, sed virtutem consequitur.

Quapropter hasce carnis afflictiones, ad salutem animae conferre, ne hilum quidem dixerim, nisi adsit animus illibatus [errata corrects ilsibatus*], et mens pura. Vin optime ac sanctissime a corporeis abstinerere? Temperato te prius ab his quibus animus foedatur, et sordidus sit. alioqui ieiunium tuum, ieiunium est iudeorum. illud necessarium, hoc honestum.

TH. ò te beatum Phileremum, cui tam divina rerum coelestium sup-

{page 71} {p. E iiiii} Pomilio 6

petit cognitio.

MISO. vix tandem sensit stupidus.

TH. Quid etiamnum senex in bois detineor? vix tandem sensi stipes? vix tandem? nondum novam secundo cinxeram tunicam, quod* sensi in lacte esse pilum, et nisi pudor me. Sed occurrit comicum illud. Sile. Caela. Tace. Tege. occulta. Mussa. Sed musca haec muscarium aliquando exedet: modo deus aspiret, et dexter sit.*

PH. oh hic te volebam. annulus annulum* nectit. Inter caetera ò praeclare, quae mihi semper visa sunt intellectu difficilia, nutus dei est, hoc est, ut mihi persuadeo, quod ait Paulus, Voluntas dei sancta.

MIS. Ardua profecto res est, et quae annum expetat, non horam, quae, ut videtis, reliqua est ad solis interitum,

PH. Probe mones.

TH. Valete viri optimi: vos, ut vestra est facilitas, si quid favoris, et gratiae in vobis coelitus est, tantillum hunc homonionem fovete precibus.

PH. Velis, nolis [errata corrects from vellis nollis], amabo, in hoc agello pernoctandum erit.

TH. mihi ne?

PH. tibi inquam, ut usque mane loquamur de coelestibus.

TH. non possum.

PH. ah sine te exorem.

TH. Ego ne in portis? non fatiam.*

MI. Age Theolepte.

PH. Age quaeso: ne tam obfirma te ò bone.

TH. Quid istic? vim hoc quidem est afferre.

PH. vis est, sed amoris.

TH. Iam video non licere, ut coeperam pertendere: ut olim non licuit Chremeti* terentiano.

PH. facis ut te decet. Misopone est ne querellarum nostrarum finis?

MISO. quando vultis, et si adhuc parum quid, quasi canonum occipitium maneat intactum.

Titulus

{page 72} {p. E iiii v} Pomilio 6

est de laudibus deo per choros celebrandis.

THEOLEPTUS.

Et hanc, si meam sententiam quaeritis, unam esse de actionibus puto, quae ad salutem promerendam, nihil propemodum faciat, nisi chorus ille charitum, quas theologicas vocamus, comes sit, ac in canentium choris diversetur. Tantum adsit cor, et mens. alioqui quid vocalis ille, et flaccidus psalmophagorum stridor conferre potest? Psallendum est igitur, una cum voce, et animo, et affectu: quin, ut nostri admonent, gravi, integro, rotundoque concentu, ac metro, non concise, ut fit.*

Tantum abesse debet, ut tota in eiusmodi pectoris defatigatione licet sacra, conteratur aetas. Accelleranda sunt quidem omnia, quae ab alto cordis silentio, et sanctarum literarum lectione, et studio, nos avocare possunt. Felix noster ordo si vigilantius. Si ardentius. si studiosus. si constantius bona animi, quam ista corporea, honorata alioqui studia: curarent. Sed eo res adiit: ut iuveni licet impudico: licet facinoroso: licet infraeni, errata omnia condonentur, modo, ad divinum quod aiunt officium, sit impiger. Adeo res animi antiquata est: ac praepostere vivitur.

MISOPONUS.

Duo adhuc extant in canone tituli. quorum alter esto de divino Evangelio praedicando.

PHILEREMUS.

Cupimus enim, ait apostolus, ut in hac parte segnes non efficiamur [errata corrects afficiamur]. verum imitatores illorum qui fide, et patientia promissiones haereditabunt.

{page 73} {p. E v} Pomilio 6

hi [added in errata] sunt, nisi fallor, qui caste, syncere, et sine hominum metu*, ut est christiana libertas, Evangelium, non ineptias ex suggestu praedicant. Ite, inquit christus, praedicate evangelium. nullus quidem in ecclesia dei ad consequendam resipiscentiam, efficiator ritus, nullaque sanctior consuetudo. Sed quos putas concipiat mentis algores auditor, cum me sentiat evangelii loco de antiquis Dedali plumis: aut Icari caera concionari: sed nec sine risu, dicteria intertexere?

Argumentum plane ingens, me Evangelium, contra pauli doctrinam, erubescere. nolli ait erubescere evangelium, idest testimonium Domini nostri Iesu christi. Itaque vanis, et plus quam harrundineis omissis gerris emulemur, ut idem ait, charismata meliora. Finis enim ad quem tua se debet accingere declamatio, est persuasio ad caelestium amorem, scilicet ut auditor accendatur. Inardescat. resipiscat. Soli deo fidat, sibi ipse displiceat, eiulet, ingemiscat, et demum totus caelestem depereat vitam. Tantum non sit nobis quaestus pietas, et auribus magis, quam animis haudquaquam placere efflagitemus.

MISOPONUS.

Ultimus sit de praesule titulus, ne longius vos proveham.

THEOLEPTUS.

Dicam de praesule. Sed dicam prius. fuere Troes. Multifarie enim, ò amici, humanarum rerum ordo vulnerari contingit: sed duobus potissimum telis confodi omnino: altero, cum ille qui primum locum tenet, nimium saevire, et summo

{page 74} {p. E v v} Pomilio 6

quod aiunt, iure, peccantes invehitur. Altero, cum flaccide nimis perlanguescit, et turpiter connivet. utrumque vituperabile. Modus igitur cum in omnibus: tum cum de alicuius salute tractandum est, servari debet. Tantum ille qui iudicat ab omni mentis perturbatione, atque aegritudine animi vacet, ac liber sit. Cum quiete enim, et tranquillitate, quicquid vir bonus agit, perfici debet. Nam corpus tetragonum, ut a doctis accepimus, quoquo ieceris iuste, ac aequis lateribus conquiescit. Habetis brevibus, ut opinor, boni iudicis faciem, et formam. PHI. pulchre o optime. Sed et hoc etiam commonefacere opereprecium erit, ne quis ex subditis audeat, alter alterum cum pendunt poenas, defendere: aut mutuas confusiones, acerbis in iudicem morsibus, obtegere. levis namque hoc animi est: ne dicam maligni, ac seditiosi: ex quo oritur illa tam effera multorum capitum hydra: murmurationem dico. de re nulla magis, ait Augusti. deum offendisse iudaeorum populus dicitur, quam murmurando. Quid? nonne foedius labitur christianus? nonne turpius Anachorita? nonne vix cum venia Monachus?

Heu nos, qui sub villosa pallio, et tonsura, deum ludimus. Quam satius nobis esset, vel cum asello, clitellas lignatum circumvehere, vel in piscosi mei Mintii ripa tribulos legere, quam dei familiam tam irrequieta lingua, et furiosis moribus confundere. quod si videris aliquem

sub correctionis lima expoliri, ne saevias oro, ne murmures, ne obloquaris. quicquid enim in poena dignos saevitur, pium est, et amanter advectum. Sed iam

{page 75} {p. E vi} Pomilio 6 end

statuendus est finis hisce nostris quaestibus. Age dum ó hospes, post quam incaluere animi, penitiora, si lubet, rimemur mysteria: ita tamen ne obruamur a gloria, ut cautum est in lege. MIS. Nae, ut scis ó Philereme, sub prima noctis hora, tepentes stant austri, nobis etiam ipsis hic natis, exiciales, nedum exteris. Ideo, ut cum venia loquar, succedamus tectis.

PHIL. honeste mones.

THE. Vah quam munda pauperies, quamque elegans. Deus bone, quam texturam video? Sunt ne saligna, an ulmea viminia?

PHIL. sunt iunci grandiores corylis immixti, qui si Asphalto inungantur, pene in murum praedurescunt lateritium. At quid mussas amabo?

THEO. Iam coeperam servatori pensitare horas.

PHIE. [sic] Optime. Interim nos aliud.

Pomilio 7 (page 75; p. E vi)

PHILERE. MISOP. THEOLEP.

Adeundus est Theoleptus o Misopone. Iam suam, credo, ut nos nostram, persolvit pensionem. Salve Theolepte.

THE. Et vos viri Humanissimi.

PHILE. perorasti?

THE. vix.

PHIL. quid agemus ne, absque linea, subrepat concubium.

MISO. Ne expectes ò amice, tabellas lusorias. Non hic bissenno numeratur tessera puncto: nec, Calculus hic gemino discolor hosti perit.

THE. Vah. locundius distico lusum est, quam si mille in alveolo protuses [perhaps protruses]* latrunculos.

PHI. Videsis Misopone, quo modo cupiens te minime studiosum ostentare fritilli: lascivi tamen poetae, audin?

MIS. sunt studia

{page 76} {p. E vi v} Pomilio 7

quibus iam olim pueri usi sumus.

PH. adeo a teneris quidquid imbibitur durat.

TH. facete. Sed age, ne non solvendo sis, uti hi solent, qui facile fumum vendunt, ò Philereme.

PH. non detracto fidem. Pacienti igitur animo, accipite. Inter caetera ó optime quae, ut dixi, captu difficilia visa sunt, id esse iudico, quod a Paulo dictum esse legimus, quae sit inquit voluntas dei sancta. Cum enim ad aliquid agendum, laude dignum, seu animo, seu manibus accedere deliberamus, oriri solet subito in mente dubitatio, nescio quae, an actio quae agere intendimus, perfectissima sit. an alia perfectior, quae secundum dei voluntatem

incohanda sit, inveniatur: qui quidem deus, cum summe perfectus sit, perfectissima amat, atque a suis exigit.

Ex qua dubitatione fit saepe numero, ut operatio ipsa alioqui bona, et recto incohata animo, languescere incipiat, dum in dubio collocatur. Quo circa videmus probum aliquem virum, ac eruditum, in deligendo vitae modo plerunque caecutire, et, modo hunc, modo illum* dum anceps prorsus delibat, in dubio senescere. Illud oratoris eximii dicet aliquis, in rei pub. administratione occupatus, et clamabit.

O conditiones miseras administrandarum civitatum, in quibus diligentia plena simultatum est: negligentia vituperationum: ubi severitas periculosa: liberalitas ingrata: sermo insidiosus: assentatio perniosa: iracundiae occultae. blanditiae apertae. Rideat orbis, ut est facilis ad ridenda aequa, nihil pendo. Mutandum est institutum, ó Caenobia to-

{page 77} {p. E vii} Pomilio 7

tius eruditionis, ac pacis domicilia. detonso igitur supercilio: vah quanta intus videt quae foris non viderat. Videt inquam illius vitae (hominem infirmi iudicii describo) cuius sibi perfectissimam deliniaverat imaginem, crustam esse, atque umbram. quin posito, quam prius fuerat, in confractoribus cogitationum scopulis, illa Antonii aegyptii fuga saepenumero succurrit. fugiamus hinc ait, non est hic locus quietis. Itaque ad eremum intenditur animus. Tunc saxa horrida, mollia: siccissimae arenae, prata vernantia: Speluncae, saltus, vastitas solitudinis, omnia grata, et amaena videntur esse prae iis, quae in claustris visa sunt monstrosa, et parum sibi constantia. Inconsyderatum igitur aggressus iter, in insolitum, atque asperum immigrat montem. Ubi si solus est, cum taedio, et inedia rem habet, si socii sunt, adeo istiusmodi instituti maior pars morosa, et patinis intenta esse cernitur, ut nihil foedius. quid agat miser? Remigrabit? ad antiquum, ut dicitur, remeabit praesepe? Conarus mons testis est. Testis Balduvinectus de iis quae sub illius auspicio, turpissime peraguntur. Censes ne ó amice maiestatis illius divinae oculum, tam tetra latere? putasne illum tantas in bono viro animi conflictationes amare, an secus, quod quidem magis verisimile est? Sed ad meliora nostra connivet aliquando deus, qui paternum, ut ait Seneca, habet adversus bonos viros animum: ut fortius, pene in nostras prolapsi manus, calamitatibus resistamus. Ecce inquit, dignum spectaculum ad quod respiciat in-

{page 78} {p. E vii v} Pomilio 7

tentus operi suo deus, Vir fortis cum mala fortuna, compositus.

MISO. Ne me aspicias Theolepte.

TH. de perfectissimo rerum statu Phileremum disputate existimo.

PH. Iam dixi. alioqui nimium forsitan atrox, ac parum aequus censor esse religiosorum, in communem vitae consuetudinem viderer, maxime. Placet, fateor, mediocritas, ut nunc est usus: sed longe libentius, quae ad altissima exeunt vitae instituta, et amplector, et veneror [errata corrects from venenor]. Quis vetat hosce nostros vivendi mores, cum aucta omnia senescant, et ad mortem properent, a primis aliquando patrum defecisse vestigiis, dicere? quod si moleste auditur, causemur saltem tempora. Illa quidem perfecta, nostra imperfecta. Tunc labor: inedia: virtus. nunc ocium, luxus, vicium. fallor, an sic est? Ehodum ò Theolepte, quid animo versas?

TH. dicam, ut subita dici solent. Principio cum vir sapiens, cui iam propter diuturnam cum vitiis, pugnam, et nonnunquam victoriam, arrogans, et effraenis variarum rerum appetitio,

cedere occoeperit, consultat animo, an in deligendo reliquae vitae modo, hoc vel illud ingrediendum sit iter. antequam deliberet, ac propositum omnino stabiliat, figatque (multarum enim horarum res haec est) complura considerata esse existimat, sed cum primis an utile futurum sit, quod inchoare intendit, si utile an honestum, quamquam ne illud utile esse videri potest, quod honestum idem non sit: nam ubi turpitudine, ibi utilitatem esse non posse, est censendum. Atque si honestum utilitati non re-

{page 79} {p. E viii} Pomilio 7

pugnat, an ipsius naturae conveniat, si gloriae, si pudori, si multis, an sibi soli denique conducere videatur: siquidem ad colendum commune bonum magis, quam proprium, nos esse natos credimus: in quo quidem divinae partis igniculus quidam in nobis elucet maxime. Sed omnibus iis postpositis, de illo si placet videamus: qui et si caetera pleraque quae supra memoravi, satis sibi favere opinatur, parum tamen pensi habuit, cum de viribus, et conditione propriae naturae deliberandum fuit. nam quid aliud est bellare cum gigantibus quam naturae repugnare?

Argute igitur a Plutarcho illud., [sic] oportet inquit unumquemque ad suam ipsius naturam accomodare: neque ad alterius vitae rationem cogere: etiam si sint alia meliora ut ait Cicero tamen nos nostrae regulae naturae metiamur. Accidit ergo quod vir bonus, alioqui caeteris in rebus, vel prudens, vel cautus, cum ad excellentiora anhelat, atque animum dirigit, humiliora non considerans, hoc est se esse hominem, a caepto plerumque retrocedit, et in iis peccat quae facillime insipientissimus quisque caveret, et ab se se abigeret.

Ex quo nascitur illa tam tristis animi deiectione, ac desperatio: ut ea etiam quae per se lucent, ac in triviis versantur, obfusca, et inaccessa esse videantur. Perturbationes quidem multae sunt (quis negat?) in curandis rebus domesticis, domi. Sunt molestiae coniugii, sunt filii haud raro inutiles, aut stulti saepe, sunt sexcenta alia tranquillitatem animi perturbantia. At contra, quis vel mediocriter sui compos est, qui non advertat,

{page 80} {p. E viii v} Pomilio 7

rebus iam maxime seriis, ad extremum usque prolapsis, satius esse, atque honoratius cuiusvis homines instituti, inter domesticos mores, et eiusdem patriae cives consenescere, quam ad poenitentiam saepe tam diversorum hominum, et plerumque ignobilium multitudinem sine delectu confugere: inter quos, qui incolumem a turbis agit vitam, beatus [sic, missing period*] Quidam ex nostris, vir sane multae doctrinae, ac experientiae, solitus est dicere, nostri ordinis viros olim parum profecisse reputatos, nisi ad optimam, et summam vitae perfectionem etiam brevi convolassent.

nunc vero satis quodammodo facere, ut a probro insigni caveant. adeo tantae molis robur evulsum est, et emasculatum. adeo inquam eviratus est Samson, et in nefandae (malum) Dalidae sinu soporatur miser.

PHIL. Inter nos id accidit, ó bone, quod inter nautam, et militem saepe accidere videmus. Is dum maris nauseam comminiscitur: ille armorum bella: Alter suos nimbos: suos aethesios* suasque tempestates: alter acies, balistas, et horrendas tormentorum machinas contra connumerat. Eodem fere* modo inter nos lachrymabilis, seu magis, quam Thebais ipsa, lachrymabilior recitatur tragoedia, tanto atrocior, quanto in totius orbis teatro: et circumspectantibus omnibus, peragitur.

Videsis num aliud in conviviis popularibus, lubibrio, et risu dignius existimetur, quam sacrorum candidatos mordere? Quae scommata in principum aulis hoc nomine vacant? quis, pro dei fidem: ex sordidioribus etiam cupedinariis preteruntem* [praetereuntem?] monachum

{page 81} {p. F} Pomilio 7

dicteris non incessit, ac quasi manu impingit? Porro, quod hominum genus iam usque ad latrinas turpe, tam vile, tam infame, tam inglorium reputatur, quam hi sunt, qui barba, ac pulla obsoleti veste anachoriticam mentiuntur vitam. Vidi quosdam mei nominis viros, in cuiusdam principis domo, popinariam exercere: quosdam in hispanorum exercitu calones: quosdam lixas: alios item apud Episcopum quendam in Piceno parasitos, ac assentatores gnatonicos, etiam usque ad lenoniam impudentiam prostitutos. Vis uno verbo tandem rei summam? Emptores: Venditores: licitatores. me habes.

TH. horret animus cum haec audio. Ec quae igitur vita censenda erit ab bene, beateque vivendum idonea, et tota sibi ipsi similis, ac consentiens? Si cives spectas, eorundem oppressionibus, et gravissimis vectigalibus, nil iam auditur inclementius: tam late regnat in principibus nostris, seu necessitas, seu crudelitas appellanda sit. Si magistratus. Quis quaeso, ex afris etiam servis, sua non obit munera, et liberius, et magis ingenue? Clastra prorsus corrupta sunt. Eremitae destitutae.

De immensa vero sacerdotum multitudine, parum abest quin dicam partem eorum quam maximam adeo vel ignaviae, vel luxui, vel, quod forsitan minus tollerabile est, tum incitiae, tum ignorantiae obnoxiam, ut nihil ab opilionum vita (bonos semper excipio) eorum vita distare videatur. Ad haec, si qui boni sunt, sunt quidem multi, tanta iam decimarum mole atteruntur, quod vix vivere liceat. Pontifex item ipse maximus, beatissimae ne appellationis nomen

{page 82} {p. F i v} Pomilio 7

sustinere est potis, in tot bellorum fragoribus, ac insidiarum damnis? quid minus beatum tali beatitudine, quae nunquam, ne unguem quidem latum, ab aerumnis vacat? Scite itaque Cic. possunt ne inquit, esse beati angores? sollicitudines? diurni, et nocturni metus? vita insidiarum, periculorumque plenissima? Ex quo, ut aliquid per excelsum dicam, tam sublimes titulos, mortalium nemini, sed solis coelitibus convenire, intelligi potest. Propterea si daretur optio òPhilereme, quam ex supramemoratis, obsecro?

PH. hem quam?

TH. Civilem ne?

PH. Minime.

THE. Praetor forsitan, aut Censor placet?

PH. Nec hoc.

TH. Rex?

PHI. ludis operam.

TH. quid tandem? Papa?

PH. Papé tam vastam sedem, nec nisi diis concessam me ne?

TH. Sed quid, si ad Episcopatum voceris, ut olim ab intimis solitudinum visceribus, nostri evocabant anachoritas, quemadmodum suos ab aratro, et scamno romani, imperatores?

PHI. dicam ingenue: Altior quidem gradus est, quam* quem merita hominum aequare possint: Tamen si concedis Episcopos omnes eiusdem esse farinae, cum Episcopo civitas, cui nomen a cubito est: Malo, si diis placet, ex spinis sertum cum lesu meo, quam mitram gestare capite. Et ne te in supervacaneis morer, Taedet harum quotidianarum formarum, ut verbis utar illius adoloescentis terentiani. Verum enim vero, et si Respub. Christiana, veluti quaedam diluvii arca, variis, ac diversis intercisa cubiculis, diaetisque, esse videatur, in unum tamen cubitum, ac culmen, et id quidem per acutum fa-

{page 83} {p. F ii} Pomilio 7

stigiari, et perfici consentaneum erit: ut una sit columba sine macula, et ruga. Numquam enim mihi persuadere potui ò optime, aliam esse viam perveniendi ad bravium illud, ab uno, ut ait Paulus, adipiscendum, praeter unam, et hanc solam, et unicam.

TH. Evangelicam?

PH. eam dico. a qua si pilum, ut dicitur, exorbitare contingat, de bravio actum. Vana igitur illa, ac superstitiosa opinio, qua vulgo aiunt, diverso itinere Romam peti. Nunquam memini legisse Romam coeli rationem, et umbram, secum ferre: alio cognomine Petrus in suis epistolis illam vocat: quod quidem an tantae urbi conveniat, iudicent alii.

Neque tamen negandum esse puto, sive Romam, sive Tarentum proficiscaris, uno et altero itinere posse provehi: at ad coelum, coelique bona, unicus ac singularis patet trames. non est enim eadem ratio cum corporeis passibus, et animorum motibus, et affectibus. Varia quippe sunt, non eo inficias, coelitus dona: quibus uti quibusdam gradibus ad deum patet accessus.

Sed eandem melius animadvertere est rationem huiusmodi perinde inesse muneribus, atque solet in recta, quam circum ornet plantarum decor, et arborum, camporumque, ac virentium collium varietas, et pictura. Trames idem, et unus est: Sed varie ornatus. Igitur, ut concludam, Sive Arabs sit: Sive Scythia: sive etiam ab ultimis Thulae finibus convena, ad beatudinem unico currendum est cursu, et eo velocissimo, ne gravi interim dicam: Siquidem iter est quod cursores,

{page 84} {p. F ii v} Pomilio 7

et hos sane desultores invitat. Tardos autem et testudineos neququam admittit. Tantum abest, ut in via resupini oscitemus: ac melitensi rosa farto pulvino cubantes, indecoctam ignavi despuamus salivam. Non Claudii: non morbo aliquo affecti, qui in triviis: ac sepibus, victum obsonant, a stadio exploduntur: modo pro viribus nitantur, et velocissimi habebuntur. nam in huius generis olympiis, haudquaquam corporeis contenditur membris sed corde nitido, atque a terrenarum sordium labe repurgato.

Sed unde defluxit, redeat sermo. Ais enim in re esse quod omnium omnes alterius alter, fastidiunt statum (ex quo saepenumero cernitur proteus) quod in actionum delectu, nulla omnino habeatur naturae ratio: et propriae caducitatis respectus. quod si haberetur, melius satis, cum quid factu sit opus, consultamus animo, nobiscum ageretur.

TH. sic aio.

PH. At ego secus.

TH. qui?

PH. quod* nulla prorsus (de absolutissima rerum conditione loquor) admittenda sit propriae virtutis consideratio, et naturae deciduae amor tam delicatus: ut nonnulli faciunt, quibus

animi minus, quam stomachi vitium displicet. Alioqui neque forti animo, neque perseveranti consilio, id de quo agimus, ad perfectam metam, finemque* optimum perduceretur: Ex quo necesse esset oriri derisionem: infamiam: exhibitionem: et poenam tandem. hoc solum aveo, ut in eligenda via minime hallucinemur, ac caeci simus.

TH. hoc esset, meo quidem iudicio, equum per se concitatum, et praecipitem, absque fraeno, disruptisque habenis, impelli.

PH. Quinimmo eodem,

{page 85} {p. F iii} Pomilio 7

ut dixi, modo, sunt cives qui ob patriam, ob liberos: ob ipsosque suos cives, vitam cum opus fuerit libentissime exponunt: ac sine tanta animi molitie, mortem oppetunt constantissime. quo, quid in sua republica gloriosius, civis agere possit, non video. O miserabilem civitatem, quam cum cives rebus tantummodo intenti domesticis: tum privati commodi dumtaxat rationem habentes, indefensam relinquunt [sic]: et quantum in se est, desolatam reddunt. Quo circa non est quod dicas ò Thelepte [sic], in re tam seria maxime, magnanimitatem equum esse effraenem.

Quid bono cive tunc visum est dignius quam Deciorum mors? Quis terror tam horridus, cum illo terrifico. Q. Curtii hiatu comparandus? Scilicet quod illi pro republica illa, quam cives optime meriti totiens sensere ingratis, egere: nos pro Christo, ac deo nostro, qui nos potius (ah pudor) ingratis, et plusquam dici potest, in ipsius benignitatem immanissimos, ad se advocat, invitat, provocat, ac in donis profusissimus illicit* [illiciti] non feremus? Consideranda est, iniquitas mortalium conditio. Concedo, si ipse suam ipsius considerabit tunc, cum in similitudine carnis peccati, habitu inventus est, ut homo.*

O ridenda mortalium consilia. Ille, ille inquam, qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis, et homo factus est, atque idem, in quo neque species, neque decor visus est, et cuius livore sanati sumus a nobis modum, et mensuram in amore exigit? Quid saevius vel a Dolopum saevitia expectari potuit, quam* cruoris flumina ad martyrium pedes

{page 86} {p. F iii v} Pomilio 7

exundantia. Et, ut caeteros postponam, quae maior despicientia? quae animosior tormentorum contemptio, cum illa Egnatii aequiparanda? Dignior crede mihi, noster est deus, quam ut modus tam mollis in eius servitute requiri debeat. quid in multis te moror? An te latet, quam* caro, mundus, sensus denique omnes: et quicquid extra nos est, ne interim de interioribus animae affectionibus loquar, deo rebelle est ac contumax: nec potest, nec vult, ut ait Paulus, dei legi subiici?

O pessimum consultorem, si in re tam seria, vitream tuam, prae fracte quidem nimis, conditionem consulis: nec extra te exire, ac supra vires, tantillum saltem, incohare aliquando audeas. Fortior enim es, ó homo, si nescis, quam ipsa sit natura, et caeduae naturae conditio. quod* si crebro in votorum varietate, aut inconstantia peccatur, in vitae delectu error est, non in naturae infirmitate et defectu. Aliud est, si iam incanuit habitus. Multifarie igitur, ut dictum fuit, iter hoc ad beatitudinem ornatum esse constat: at ita, ut unum, et unicum sit, et singulare.

TH. prorsus ita esse etiam hyoscyamo vescentes, non negarent: licet nos aliter esse dicamus. Asserimus enim tot esse tramites, quibus ad illum tuum unicum viae modum pervenire

possit, quot sunt in conviventia populari, vesteque et ritu varietates. quamobrem ferunt vulgo hunc aliam divum: aliam illum suis proscripsisse viam.

PHI. absurdus iam nihil asseri potest, nec rei Christianae adversantius. Querebatur Paulus in

{page 87} {p. F iiiii} Pomilio 7

hoc genere dissidii peccare Corinthos: nam inter illos erant, qui Pauli partes: qui Petri: qui Apollo profiterentur. Ex quo membratim discindebatur Christus, id est Ecclesia, quod est pacis, et concordiae domicilium. ad quod quidem (ut iam idem millies inculcem) uno curritur viae conatu. Nam quemadmodum in via fessis, huic Platani, illi salicis magis arridet umbra. Is ornum: alter fagum laudat. Alius item in una, eademque via vel Ulmo, vel ilice delectatur: eodem ferme venit usu, in hoc de quo disputamus cursu. Via vel stadium, Evangelium est, quod est unum.

Viator, homo: qui inter caeteras creaturas, cursor qui est unus. finis cursus, deus: qui est unus. decor stadii, virtutes variae. nanque, ut docet Paulus, multi sunt domini: multi Pedagogi, deus autem unus est. quid? In digitis exempla habemus. In hoc meo agello sunt per quincuncem distinctae varii generis arbores. sunt mala medica. Sunt Cydonia. Sunt Apia. sunt Claudiana. Sunt Rubentia, quae nos rosea vocamus. quis neget tam varium pomorum decorem, in uno eodemque agello esse situm?

Porro autem nihil aliud quam ignorantia, et a recta digressio, variam illam, et multiformem sectarum Chimaeram, inter philosophos disseminavit: ex quibus Stoici, sapientum iuditio, praecellunt: quorum princeps Zeno. dissidet tamen et ipse a semetipso in multis. poterat forsitan concedi philosophis (ut multa alia absurda) quod* unusquisque quam profiteretur disciplinam, eam prae-

{page 88} {p. F iiiii v} Pomilio 7

dicaret: extolleret, mordicus etiam teneret, ac in eius nomen sanctissime iuraret. Poterant quidem quia diversae scholae, diversas excudebant doctrinas. melius forsitan dicerem errores. At Christi doctrina una est: quae unanimes, et unius disciplinae asciscit discipulos. Unus deus. Una doctrina. Una Ecclesia. Unum iter. Sacrum unum. Libatio una. Altare unum. Amor denique unus. Ego sum, inquit, via, veritas, et vita.

MI. nollem ó philereme, ut, dum tam parum naturae necessitatibus tribuis, ipsi naturae, et cum primis hospitii commodo iniurius dicereris. iam intempesta nox est: et hospes noster etiamnum vigilat.

PH. recte sane mones. nondum enim secundam adesse vigiliam senseram.

MI. En lumen attulere.

PH. I bonis angelis cubitum, ó Theolepte.

TH. Et vos melioribus.

PHILEREMUS THEOLEP. MISOPO.

Tam cito experrectus es, nec usque ad gallicinium, Theolepte?

TH. oh Philereme salve, faustus sit, iocundus, hilaris, nec sine fructu, tibi dies iste qui instat.

MIS. soli Phileremo?

TH. tibi quoque dictum puta. nam apud me pene idem est amor solitudinis, et odium laboris.

PH. faceta interpretatio.

TH. In hac nocte ó amici illud mihi accidisse sentio, quod aiunt, facile scilicet homines noctu per somnia, id de quo perdiu locuti sunt, cogitare, et versare animo: quin saepissime, nescio qua ratione, iocundius: quod

{page 89} {p. F v} Pomilio 7

quidem accidere Homero aiebat Ennius, ex more. Illud enim tuum, et singulare ad beatitudinem iter, adeo pectori insedit, ut nihil unquam altius. Qua propter cuperem (parcendum est ó praeclari animo irrequieto) a vobis audire, an usquam sit, et inveniatur istiusmodi via, a qua si quis vel capillum, ut aiunt, transversum excesserit, non sit spes illud adipiscendi, quo omnes sacra imbuti unda, aspirant.

PH. Dixi iam Evangelii scita esse, quae ipse dator Christus, iugum suave appellat, et onus leve, ne forte Platonis rempub. cui nullus in terris est locus, imagineris.

TH. non hoc quaero. Sed an sit, qui huic oneri, ut rei dignitas exposcit, summittat cervices. Terret me, fateor, multimoda vivendi hominum ratio, et facies, vel cum primis eorum, qui ut rectius, expeditiusque progrediantur, omnibus quae obstare videntur, vulgo cessisse visi sunt.

PHI. optimo, et longo usu, purificato, ne fallaris, utendum est iudicio: ne quae dixi ornamenta esse, viam putes vel appellis. Quis unquam Phaleras, aut Ephippias, vel dorsuaria, equum dicat? Sol, Luna, reliquaque sydera decori sunt caelo, haud nomen caeli sibi vendicant. Sed et ipse lunae orbis forsitan neque illos suos pateretur defectus, si perseveranter a Clyptica una non oberraret. Eadem ferme ratione est videre in hac nostra vivendi, ut sic dicam, Poliphormosi. Varias sunt haereses. Varii ritus. Varii mores, at unus debet esse cultus. Una lex. Una pietas. una vivendi regula.

TH. quid censendum cum in sacris vatibus, haud semel vias legimus? ut illud

{page 90} {p. F v} Pomilio 7

exempli causa. Notas mihi fecisti vias vitae.

PH. tunc enim rudi, impollita regnante lege: lege inquam carnis, atque irae, multae erant viae, quae asperas, vates ille, et turbidas appellat in Ninive onere. dominus, inquit, in tempestate, et turbine viae eius: sed quibus haec nostra pacis, ac lucis deliniabatur. Quae quidem si Evangelio, hoc est amoris, et gratiae semitae, minime consentiunt, sed potius negotium faciunt, non vias, sed angiportus libentius dixerim.

TH. At consentiant quaeso.

PH. Tunc verae ad consequendam beatitudinem viae aequae erant, uti verae fuerunt, aut Zeusis uvae: aut Parrahasii aves in tabula. Sapienter igitur Paulus. nihil, inquit, ad perfectum adduxit lex.

Sed unum plane ex lege, et Evangelio factum esse, Cipryanus tum alias nonnunquam: tum in virginei partus encomio, expressit. Lex ait et Evangelia unita sunt. quod perinde dictum esse existimo, atque si a iugis montium diversis, diversi fluant rivi: qui quidem tandem in unum coeant alveum, atque unum seu Nilum, seu Tygrim, seu amnem alium quempiam similem efficiant. Vin melius adhuc, quod aiunt, rem acu tangere? praecepta legis singula: singulas ne sternunt vias, Vel ne?

TH. puto quod omnia, unam simul: etenim abstinens a furto, occidere hominem potest. Ex quo concedere cogemur, hominis interfectorem, colentem licet aliis in rebus pietatem,

posse esse in via. Quae quidem ratio quam* absona sit, ac a veritatis lege exorbitans, sole ipso clarius video.

PH. Probe. Vel saltem illud viarum assertores, regis perfectissi-

{page 91} {p. F vi} Pomilio 7

mi, simul et vatis consyderarent. Viam inquit, mandatorum tuorum cucurri. haudquaquam dixit vir sanctus vias mandatorum: quippe mandatorum via una est, qua ad illum de quo nunc agimus finem pervenitur. nam qui ab uno excesserit, eum ipsum caeterorum reum teneri, doctissime demonstravit Iacobus, cum ait: qui in uno deliquerit, factus est omnium reus.

Quo quaeso, apertiori Axiomate, mandatorum unionem commostrari potuit? sed ad Regem redeo. coelesti igitur Rex ipse, spiritus omnium illustratoris afflatus numine, scivit unum esse patrem: filium item unum cum patre: atque huius sacratissimae unionis nodum, ipsum esse Paracletum. Ad quam unitatem uno solo, atque unico iri datur itinere, quod est Evangelium, quod unum est.

TH. me nimium urges. Eohdum altius visum exera. res est profundior, quam quod ego Acherontius, explicare valeam. dicam tamen virtutes omnes, quae prius appellavimus ornamenta (sint ut lubet numerosae) item leges omnes. mandat. Iura. Scita. et si quae sunt alia huiusmodi appellationis nomina, in unum id* [idem?] Apophthegma resolvi: quod a Paulo non minus argute, quam vere, suo Timotheo, tanquam ultimam quandam testamentariam tabellam misit.

Finis, inquit, precepti, est charitas de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta. Amor igitur, Evangelii est terminus: quo illud summe necessarium formatur bonum, de quo benignissimus praeceptor Christus Iesus, ad patrem, ut sicut, ait, ego et tu unum sumus, sic isti

{page 92} {p. F vi v} Pomilio 7

idest vocati, electi, praedestinati que ad assequendam imaginis dei formam, unum nobiscum sint. Eleganter, et id quidem Ciprianus expressit. Unus deus est, et Christus Iesus, inquit (Ecce finis unus) Ecclesia item una (ecce iter unum). Et plebs in solidam corporis unitatem, concordiae glutino copulata. (Ecce christianorum unitas). Itaque ad hanc viae unice institutionem revocandus est quisquis devius est, sive princeps, sive Civis, sive monachus, sive anachorita sit. Miror equidem unde illa in triviis celebris, exorta sit vulgi opinio, discordiam, benivolentiae scilicet caritatem, inter nos imperium habere: Inter nos inquam, qui, ut est illud comicum, palliolatim amicti incedimus ludibundi.

THE. Miraris?

PHI. quid ni? hoc esset, mea quidem sententia, a caelo solem, ab animanti cor, a mundo deum, quae est unica mortalium beatitudo, tollere. quid censes? neque nictas: neque annuis. suos demum admonet Paulus Thessalonicenses, ut recedant a fratribus ambulatibus. inordinate.

TH. multi iam thessali facti sunt.

PH. nec est quo te moveri oporteat ó Theolepte, si is diem a die, ut ait Paulus, ille nullum iudicat diem. Agat quicquid velit homo: modo deum spectet, atque ab eo dependeat, in via ea est, in qua, ut diximus, inest maximus virtutum decor, et ornatus. Qui perpetua carnis abstinentia vivunt, ut quidam faciunt, ex animo, et ad fraenandam appetitionum libidinem,

abstineant velim. tantum ne quaerant ad maiorem luxum irritantia: in via sunt. Caeterum nunquam

{page 93} {p. F vii} Pomilio 7

ab Apostoli doctrina avertant mentem. non manducans, inquit, manducantem non iudicet. Et ut de his meam exprimere sententiam liceat: hoc uno excepto, quod nimium opulentiam sectantur, et miraculosa magis quam quod viros mundo defunctos deceat, aedificia erigunt: modus vitae, quies scilicet, solitudo, et silentium, non displicet. quod vero sint morosiores in fovendis corporibus, Crepida, pelle, tomento, et pluma ut vulgo iactitant, non est vulgi, tantae detrudere religioni.

Temeritas haec est, et in eorum fortunas oblocutio magis, quam in vitae modum. Politiori suppellectile eminent alterius ordinis viri. nimii et ipsi in struendis caenaculis, larariisque. nec minori elegantia delubra concinnunt. Carnibus et ipsi abstinent, sed non tam arcte ut primi. qui quidem mos magis, ut mea fert opinio, propinquus humanitati videtur esse, quam alter ille: modo nec, ultra, nec citra a praescripto deflectent. Caeteris utuntur cibis promiscue, et absque superstitione.

Nulla natio aequae largius, aere alieno, rem agit cum principibus. Pax, atque amor, ut nunc est usus. Doctrina haud trivialis, sed inter paucos. Hospitalitas vero satis ampla, et amoris plena. Porro ex morum disciplina, et ex sacris ritibus, tanta afficiuntur, tum reverentia, tum religione spectantes, et si quid in terris divinitatis conspici potest, in his quammaxime arbitrantur posse. Utinam gens illa altera nobilis, saevius usque nunc prima sua, utpote, ab Apostolis profecta, retinisset instituta. nulla enim religio

{page 94} {p. F vii v} Pomilio 7

antiquior. nulla sanctior. nulla tam copiose de Dei ecclesia benemerita. Ea sane est, quae septem illas sapientiae columnas, ad templum Dei vivi, fidei scilicet fulciendum (modo nervos aliquantisper, dum serviunt tempori, delaxatos acrius intendant) apta est restituere. Mirum quanta cum gravitate, et prudentia, rem ordinis tutentur: nec minori interea frugalitate, hoc est temperantia, vitae subsidia sibi ex dimenso impartiant, viri alioqui summae charitatis in amicos, atque profusissimae liberalitatis in hospites.

Quo circa a Canone illo splendidissimo militari, ac symbolo, titulus huic sacro ordini comparatus. Est tamen (ut sua cuique dicendi est libertas) qui cum stomacho imbricatas plus solito, laciniosasque in illis tunicas, se se videre dicat. Cui ego cum Paulo. Tu quis es qui alienum servum iudicas? Domino suo stat, aut cadit. Verum cuperem et ego quidem istuc, quale quale est, moderatius transigi: et his etiam qui foris sunt cum modestiae, tum [errata corrects tamen] disciplinae exemplo satisfieri.

Claudicant et alii alterius nominis Mystae prius enim nuda contenti pauperie, ad cursus metam expeditissimi erant, nunc caducarum hereditatum tricis impediti, vix pedem movent. offendit complures excelsus illorum tumor, ob patrum doctrinam, mallet ob suam. Vasta vero illa totius orbis gloria, an socculis, vel numellis ambulet, videant hi, quibus curae est eorum auctoritas, Christi ferme per omnem vitam typum gerentis, vestigiis inhaerere. Nulla religio adeo artua-

{page 95} {p. F viii} Pomilio 7

tim per regiones concisa, vel ultra columnas Herculeas. Alter et est ordo mihi carissimus, qui simpliciori forsan, et minus tardo progredere studio, quam caeteri supra memorati: nisi belva illa germanica, nuper multos vel ex natu meliores de itinere deturbasset: viros profecto absterso illiusmodi naevo, in quibusvis literarum studiis exercitatissimos: nec non Evangelicae pietatis ardentissimos, etiam usque ad flagra, concionatores: ex quibus fax illa Dei verbi Siripandea iam usque ad indos cognita, rem sacram tutatur, atque a labe illa exicali doctissime vindicat.

Complures alii in eadem navigant navi: ut hi qui suo in vestibus, etiam usque ad vaginas, ac pileos, contenti candore, pededentim citra sudorem proserpunt. Sunt et quibus votum est, ac iusiurandum, non discendi literas, via et haec unica ad omnem errorem. Et qui ignorat, ignorabitur, ait divinum oraculum. Sed nescio an sint in mortalium numero computandi: cum in hac parte, ut in pluribus aliis, a pecude dissimiles simus.

Aiunt enim Cleanthem solitum dicere, homines absque disciplina, et litteris, tantum forma distare a belvis. Non improbatur tamen illorum victus manuum artificio conquisitus, et maxime in excutiendis succis a frutice, et herba. Tantum non adeo impudenter coalescat cupiditas, ut aquarum labor, mortalium libidini potius quam necessitatibus opituletur. Nihil tam sanctum, nihil tam firmum, nihil tam impenetrabile, quo non subrepat aliquando cupiditas,

{page 96} {p. F viii v} Pomilio 7

quid [added in errata] per odiosa vagor? Num mihi in praesentiarum totius orbis mores pervestigandi sunt? hactenus igitur eluximus. Verum non video cur diutius diferat [differat] deus auferre obrobrium a Syon. Namque quoddam nasci prospicio (nisi vana sint quae vidi Spectra) novae lucis lumen.

TH. Sed verendum, ne vapor ille a saxonibus.

PH. quid cum lampyride lucernarum papilio?

TH. quid? offuscat. obnubilat. Subtrahit etiam saepe radios, vapor improbus.

PH. Vapor tamen est: quo evaporato, gratior, ne scio quo pacto, lux emicat. lutherum dicis.

TH. Lutheros aio.

PH. numerum times?

THE. hau cur non timeam cum inter anus etiam lanam ad lunam trahentes, sit* rumor, nullam in Europa esse rem pub. quae ab hac lue non aegrotet.

PH. heluones forsitan, et Scorta: ut dignum patella habeat operculum.

TH. faxint coelites ne, ut est arrogans, dynastas etiam, atque ipsos templorum suggestus, involvat.

PH. Quid iam oro, in hac tantum accessit vipera, vel doctrinae, vel eruditionis, cui vel mediocriter quidem a natura institutus, morem gerere debeat? Mirum si sit, qui in re tam clare, et certa vacillet, ob unum novum Anaxagoram: cuius sacrilegis ineptiis, et infantiae, Rex ipse in Britannia: ex Italis Augustinus Sinuessa, ambo erudito, ac excellenti ingenio, dum respondere volunt, miro quodam modo illius nomen alioqui inglorium, et depressum exaltavere: adeo a summis viris, etiam cum probro in chartis reponi, laus est, et gloria. Deme te obsecro, a Luthero, mordacem calamum, una cum liberos in romanam sedem

{page 97} {p. G} Pomilio 7

morsus, quid audies sibi undecumque simile, et constans? Undique fluit remissus, frigidus, ac somniculosus. Et tamen huius temeritas, et stili arrogania [sic, for arrogantia*], apud quosdam, etiam magni nominis viros, argutus reputatur nasus, et evangelicus mucro. Quis, ne Maumethes quidem, unquam tanto cum fastu sibi coelestia abiudicavit? Quis tam impudenter carpit peccantes, aut quos peccare imaginatur? Et si aliquando quendam caldiusculum mentis excessum, et mentitam a corporeis separationem ostentare nititur, quis unquam, vel ex iis quorum Thyrsos, ut ait Lucretius, cor est percussum, divina frigidius expressit?

Legem. Evangelium. Gratiam. Baptismum. Caerimonias. Emoriar nisi millies has merces, temere, et absque occasione, invenias inculcatas. Quem iam fugit ex cetariis quoque minutioribus, et Laniis, evangelio obtemperandum esse? legem abrogatam: ac per christum absolutam? gratiam gratuito condonari? Baptismum necessarium? In Caerimoniis christianam pietatem, sitam non esse? quid aliud obgannit? quamvis nec haec syncere. Unde (malum) in Italia tantus ortus est stupor? unde tanta cum laude, admiratio? Scripsit ne iste novus Zeno Italis, an statuis inanimis? sinat oro, vir Italus, Cimbros Rhetios, Noricos, Helvetios, et huius generis caeteros, ista nova admirari portenta: et sectari. Aiunt Maximilianum ultimum nostris diebus imperatorem, solitum dicere, se uno excepto, omnes illius gentis homines, ferino lacte esse nutritos.

THE. non parum enim refert, in Cunis

{page 98} {p. G i v} Pomilio 7

quo alaris lacte: siquidem in mores transit plerunque ipse papillarum haustus.

PHI. Quam quam nec illud omnino Maximiliani probandum: vellem una secum bonos excepisset germanos, ex quibus cum olim, tum nostra maxime aetate prodire viri, et egregie docti, et ad rem christianam iuvandam nati qui esse videantur. Sed suis male Cicuratis catulis, Luthero relictis, ad lucem nostram ó Theolepte, cuius auroram iam rutilare praesensi, revertamur.

THE. hoc expecto.

PHIL. Ex iis enim quae supra memorata sunt, constat abunde, omnes fere seu ignorantia, seu lauticia, seu socordia impeditos, in vinea domini ociari, et stertere. dubitas? Da rursus hominem, te rogo, qui in agone contendens ab omnibus sese temperet, ut hortatur paulus: Is ille erit, quem ad cursum aptum, atque probe institutum esse quaerimus. Putasne civem adeo in bonis moribus informatum cerni posse, ut valeat sine solitudine esse, ut a Paulo cavetur: qui* cum uxor sic vivit, ac si toro viduus esse? Qui utitur hoc mundo tanquam non utens? Eum dixerim omnium sese abstinentem.

Quis mihi clericum, aut sacerdotem ostendet, divinas divini Pauli regulas adamussim sectantem? Sit pudicus inquit: non bilinguis: non multo vino deditus: non turpi lucro inihans [sic, for inhians]: habens denique mysterium fidei in conscientia pura. Ecquid de vobis, et nobis dicam ò Theolepte? habentes autem alimenta: et quo tegamur amictum, contenti ne sumus? sectamini inquit, iustitiam: pietatem: Fidem: Cha-

{page 99} {p. G ii} Pomilio 7

ritatem: patientiam: mansuetudinem. Praeterea divites compellans, non sublime ait sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in deo vivo: divites fieri in bonis actionibus, facile tribuere. Cuperem his quosdam meae patriae Cives adesse: eos sane divites, quibus cum

usque adeo in syncere agitur, ut sub coloria veste, impluvioque colobio, pullatam religionem subtendere praesumant: scilicet ut absque aperti probri nota, avaritiae deserviant. fucatum sane praetextum, et modis omnibus a bono cive extirpandum, quem Paulus admonet thesaurizare sibi bonum fundamentum in futurum.

Praeterea cohorresco plane: cum de sublimitate tam excelsi verticis succurrit memoria.

Oportet inquit Episcopum irreprehensibilem esse. Quis unquam audeat reprehendere Episcopum castum? sobrium? pudicum? doctum? A quo quaeso melius, ac lucidius exire, quin/ quando* uti torrens in rivos decurrere potest, ipsa virtutum mater sapientia, quam ab Episcopo?

O vere Mitra, et pileo te dignum dixerim ò Pompeie: si cum hodie ab humanis accersitus: et inter carissimorum lachrymas in pheretrum sublatus, huiusmodi gratiarum floribus, inventus es ornatus. O te beatum, si in hoc salebroso vitae cursu, pulverulentoque curriculo, sic vitam instituisti, ut sacra vita, honorataque Tiara, excelsae fronti decori, atque ornamento extiterit. Iam credo, a corporeis semotus plene videas, quod heri nobiscum, cum hic viveres, ut vir eras naris purgatissimae,

{page 100} {p. G ii v} Pomilio 7

subodorabas, hominem videlicet nullum ad se licia illa beatitudinis bona introduci posse, nisi illum, quem magis labor, inedia, calamitas, atque miseria tandem ipsa, oblectat, quam ocium, luxus, delitiae, et mundi plausus. Quae quidem omnia suos ne dum ammovent sestatores a cursu, sed deturbant, perurgentque ac impellunt. Corruptit ergo omnis caro viam suam, atque de spatio deflexit totum genus humanum.

Quid oro aliud in frondosis his ramis, in quorum umbra resupini stertimus, nisi luxuriosos surculos, et lata folia redundare conspicimus? proinde altissimo illi fundamento, praeter quod nullum aliud poni iubet Paulus, quid a plerisque superstruatur, etiam ipsi capti oculis Talpae viderent. Raro aurum, argentum, gemma. crebrius Fenum, stipula, plumbum. Sed et iniquitas ipsa, apud vatem quendam, visa est sedere super talentum plumbi.

Quo circa a recta convulsi, et ob id desides facti, oblanguescimus miseri, nec aliquando ad meliora excitamur. Quid? nec dum spiritus domini fertur super aquas, et adhuc, quod sine singultu dicere non possum, aquae sunt super faciem Abyssi. Denique ut semel cum Esiae vaticinio finiam. haec est via inquit, ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram. TH. Valetè ò viri optimi, si quid deinceps erit, quo vos?

PH. Ubi volueris, obvii erimus.

TH. Tamen.

PH. Minervae, aut ad tuum Tartessum, quem Bromius, quem Pallas amat, navigabimus.

TH. Nihil commodius.

{page 101} {p. G iii} Pomilio 8

Pomilio 8

NON FACILE CREDENDUM esse illis, qui novas prae se ferunt religiones. ad Reverendum Franciscum Calabrem.

PHILEREMUS. MISOPONUS.

Audisti ne Misopone?

MIS. Perinde atque gratius nunquam. Et si te anxiorum miseret, clarius mecum.

PH. de luce illa?

MISO. profecto, nam sine sole quis unquam auroram vidit?

PH. ab aureo enim solis radio, aurescit aer, ex quo auroram dici, arbitrati sunt antiqui.

Exorbitaverat plane sol, atque tam longe, ut iterum Phaetontem ascendisse currum, inversa rerum natura demonstrabat. Semiustulatus igitur conquestus est orbis, et suum germanum lumen interversum esse, lamentati sunt coeli. Itaque decusso illegitimo auriga, ad aequam Zodiaci clypticam reversus est sol, atque ita esse praemonstrat nascentis aurorae pellucidum iubar: tenue tamen.

MISO. ut mihi videtur, huic tuae heraclidae orationi, est opus Oedipo coniectore, nisi forte christianorum religionem solem appelles, quae sit autem aurora, nondum intelligo.

PH. dixi orbem fere totum a recta detorxisse, hic error solis, ex quo late deflagavit tellus, haec est cupiditatum flamma, ac ignorantiae fumus. Repetiit sol cursum, atque iterum suum praemittit hesperum, non novum, ut nonnulli opinantur: sed antiquum renovatum.

MISO. Vix.

PH. modo vix, et sat est. favet iis cum pri-

{page 102} {p. G iii v} Pomilio 8

mis summus pontifex, ex primoribus per pauci. Caeterum ab orbe in derisum, et exhibitionem, tenes?

Miso: Multa quidem mira, et portentis ferme similia, de novo illo vitae instituto, narrantur. Aiunt enim eis cum mundo nullum esse foedus omnino, nimirum res rara nostri aevi sed totam illorum spem, ac fidutiam, in deo sitam esse, non agros, non vineas, non domos possident, nec nisi lateritia, aut sagina utuntur suppellectile. Cellulae vix parvi hominis mensuram aequantes, quae quidem non signis, aut tabulis, sed sacris codicibus, et his admodum paucis perornantur. Ex paleis Anacliterium, vel ex pilo asini confartum, tenet gurgustii angulum.

Victus promiscuus, et Cibarius. non horrea, non penum, non stabula. Vestem habent incultam, villosam, mutinensem, et hanc solam, sed vulgo aliquantisper ridiculam. Tegurii limen plerique non exeunt, pauci vero, ob pietatem, vix raro. Victum neque vicatim, neque per domos hostiatim, ut hodie passim caeteri illius ordinis viri, expiscantur: sed divinis tantummodo intenti mysteriis, ab eo cui serviunt, et quem sciunt non posse non praesto esse pollicitationibus, exigunt. Non Carpento, aut lectica (heu more corruptos) regionatim devehuntur, sed aut vili socculo, aut nudo pede sua habent itinera. Viri alioqui omnibus affabiles, et benigni, atque sine fuco, et Hypocrisi, venerandi.

PH. satis quidem laute, ipsos suo pinxisti colore. sed haec videntur tibi portentis similima? Quid quaeso viro sacris initiato dignius

{page 103} {p. G iiiii} Pomilio 8

esse potest, quam prorsus et mente, et animo in eius benignitatem, qui dat omnibus affluenter, et non impropere, se se prosternere* [prosternere], et de illius fide pendere? Proinde ne tibi persuadeas velim, hoc genus vitae novum esse. Annosum est cum ab antiquis Hebraeis, tum a nostris servatum, sed desidia tempororum* desitum est, et antiquatum. lege te rogo Hieronymum ad Nepotianum, lege Ambrosium de fuga saeculi,

lege Gregorium ad Anglos, lege Urbani scita ad christianos, et sexcenta alia aliorum decreta, et videbis quanto probro afficiebatur clericus, qui in terris, tunc vel tantillum quidem, habere velet.

Alioqui aiebat Hieronymus, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem, cum istis partibus non dignatur dominus fieri pars nostra, et sors. Hoc enim distat dei sacerdos, ut inquit Adamantius, a Pharaonis sacerdote, quod deus bona sua, suis promittit in coelo. Pharao autem in terris, et in aegypto. non igitur nova sunt commenta, sed reviviscunt qui per desidiam, et ambitionem pene aboliti fuerant mores. Nec multum me movet victus in hisce bonis viris parsimonia: factitarunt et hoc, vel exactius forsitan, Apollonius tyaneus. Iarcas indus, et complures alii apud aegyptios, et apud Iudaeos, Essaei.

MISO. dic sodes?

PHILEREMUS. tam singularis ausus, in tam periculosis temporibus, in quibus fere ipsa suspecta est veritas: sed favent coelites. Caeterum quid refert si a mundi theatro explodantur? O si eo modo mihi insanire integrum esset?

{page 104} {p. G iii v} Pomilio 8

MISO. quid vetat?

PHIL. hem quid vetat? latus, discinctus, lusciosus, vetus, vietus tantam ne rem?

MISOP. Quid tu his minus?

PHIL. Ridiculum. videre senem sub cucullo illo fastigiari. non agam. Sed si me audis, ad Gaderam tranemus. Illic enim solitudo insignior, et quae prae se ferat liberiolem ad quietem accessum.

MISO. Millies immutandus est mihi aer, dummodo reperiam,* ubi pascat in meridie, et cubet pacis author. Neque illos admodum audiendos esse arbitror, qui censent eos arguendos, qui facile locum mutant. Ego vero non tam acerbe rem pondero: verum cupio ut omnis levitas ab sit animi. Ex illis ipsis quidem partim ut ventri, partim ut animo vacent, mutant sedes. Hi mentis inconstantia: illi melioris vitae studio, ac desyderio. Alioqui non video cur coelestis sponsa illa, ardentissimo divini amoris oestro concitata dicere debeat: Circuibo civitatem, per vicos, et plateas, ut quaeram quem diligit anima mea. de hortorum plantis forsitan illius generis propositio assumi posset: at animorum irrequieto adipiscendae pacis desyderio, quis fraenum ponat?

Quid sibi velit, novit vir prudens, illa de christo locorum varietas. Hunc enim modo, in campestri loco legimus praeuntem turbas: modo docentem in monte modo in horto: modo in Navicula: modo in templo versantem. Caeterum tota res nostra in animo sita est. Neque unquam tam obtusam habui mentem quin sciverim hosce naturae ordines debere animo parere, non impera-

{page 105} {p. G v} Pomilio 8

re. et quae tandem conditio hominum tam assidue caelum mutat, quam hi qui in claustris optimum vitae institutum profitentur?

PHI. sic opinor. Eamus itaque. Quid enim dulcius, adde et magis utile mihi fore putas, quam* in salutis agone te socium habere, quem heri tantillum a cunis, ac fasciis, in hunc usque annum patientissime educavi? vagientem sustinui? et ulnis his debilibus confovi? Prae gaudio lachymor* [lachrymor]. Aude igitur fili: et mecum in Evangelio reducendo, ut suum

provocat Paulus Timotheum, collabora. Immo magis, ambo cum istis novis vatibus, et praeconibus, collaboremus.

Videsis, edentulus sum: ex palatus visco, balat lingua. oculus hebet, ac totus tremo. Tamen vivax adhuc ad cursum est animus. Tantum autem abesse debet ut te iuvenum, ac ferocem, in stadio praevertar. Hucusque, ah facinus indignum, misere cum caeteris claudicavimus, in umbraque pugnativimus. nunc viso sole, in tenebris versabimur, et in recta transversi, non viri prorsus, obambulabimus ut Cancer? Eya virtute macte.

MIS. prae laetitia insanio.

PH. Apagesis inepte.

MISO. sine me pater hosce pedes quos mihi praevious ad beatitudinem offers, dissuaviari.

PHIL. Abi bone vir, num censes, paedicosos artus ad ea quae* [quae] sunt animi ex usu fore. Corde enim curritur ac mente, quae* et ipsa suos pedes habet, nimirum affectus, et desyderia. Qui si loti sunt, atque a terrenarum rerum pulvere abstersi, per vates dicuntur in recta stare. At si sordidos, et coeno infectos habeas: erras etiam in

{page 106} {p. G v v} Pomilio 8

aperto, et sub sole ipso.

MISO. plane iam ipsis a primis annis abste, prius quam lac, exhausti quae dicis, et mordicus teneo. Accelerandum esse igitur censeo. Non tamen ab re erit viaticum cum asello concinnate. Dorsuaria, vel Clitellas, ain?

PH. Malim desultorium. Audi. cinctum Gabinum in hippoperis complica.

MISO. Interulas?

PH. et interulas, et flameola sinas modo, nanque ultra Mergilinam non est mihi nunc iter.

MISO. est ne etiam huius nominis insula in Iberia?

PH. quid Iberia? Mergilinam aio vatis Synceri. Ne igitur quae molior nescias, prius mihi adeundus est senex quidam.

MIS. Cuias?

PH. non hoc quaero.

MISO. quid ergo?

PH. etiam ipse molitur nescio quid novi.

MISO. quid postea?

PH. Ex hominis ingenio, ut coniectem quo genio ducatur, quo animo, qua spe, quo fine tandem. Est via sursum ad Pausylipum leva, hinc Bivium, illinc testudinato tecto fanulum, horsum vero cum angiportu, maceries.

MISO. locum teneo, illum adeo desolatum, ac musco tetrum?

PHIL. illum.

MISO. Cauponariam iurassem.

PHIL. olim sedes illa, vulgo celebris fuit, et, religionis plena, sed ob quandam aquarum illuviem, quae tectis fere, et fornicibus fundamenta aequavit, prorsus in oblivionem venerat.

MISO. Et locum, et senem, et Cathaclismum scio: sed vide ne a praeusto sude crassus, quod aiunt, fumus, [errata corrects sumus to fumus], haud flamma prosiliat.

{page 107} {p. G vi} Pomilio 9

Pomilio 9

PHILERE. SENEX [sic, no punct.] GENIUS.

Video senem.

GEN. Quid hoc hominis est? unde iste, ò deus bone, processit Truo.

PHI. salve vir optime.

SEN. et vos, si Christo placet.

GEN. opportuna responsio. atque elegans.

SEN. Quid stupes? meum ne pallorem? impexam barbam? Oh si scires. Ieiuno ter in sabbato.

GEN. hem uno pharisaeum antevertit puncto.

SEN. noctu dum stertunt alii, vigilo. Tragaedias lucubro. oh qualem, qualem vitam.

GEN. Phileremum lupi videre priorem.

PH. Quae nova schola? Primo me ingressu deterruit homo iste. Et tuum pallorem, et tuum Ieiunium, et tuas vigilias, laudo ò bone, praesertim si pax ad sit animi.

SEN. Nihil audisti prae his quae agere cupio, modo velint socii.

GENI. ó immensam in socios charitatem.

SEN. omnes me honorant, suspiciunt, mirantur, amant, perpaucorum scilicet hominum qui sunt.

GEN. Immo nullorum, si te amant.

PH. quorsum haec, et quo frigidissimus huius Capularis, se se attollat fumus, nondum intelligo.

SEN. Ego iam millies a venetis ad gallos, a gallis item ad Britannos, horsum, sursum cursitavi.

PHILE. Absurdum profecto, nec quod est aequum agis.

SEN. Qui?

PH. Corpus tam crebris desultoriis, attritum.

SEN. Ieiuniis macerare?

PH. hoc volebam dicere.

SEN. Ieiunio ter.

PH. Iam audivi.

SEN. noctu.

PH. et hoc.

SEN. ò si socii velent [vellent*].

PH. te

{page 108} {p. G vi v} Pomilio 9

etiam indiscretius excarnificares?

SEN. Ego ne? me nosti ante hac?

PH. haudquaquam quod sciam.

SEN. neque meos avos?

PHI. neque avos, neque proavos.

SEN. Miror. Cuias es?

PH. mundanus sum.

SEN. ò mundane quae conubia inter reges? quas indutias? quanta bella? quas scaenas? quae orchestra per me concinnata?

GEN. perbella narratio. Ieiuniis commiscet Hymenaeos, ac Tibias.

SEN. Tandem huc diverti naufragus.

GEN. sine numis.

PH. In quo pelago sodes?

GEN. Et in thyrreno etiam hoc nostro, ad Baias, et inermem.

GEN. [sic] ah ah Inarimem.

SEN. Cum sol a scorpii caulis, currum ageret diversum.

GEN. Vah pro chaelis, caulis quid balbutit uter?

SEN. pro' quos ventos vidi, aut melius audivi. plorabant nautae. quibus ego, ut semper impavidus fui, quid plorabundi aio? subito obmutescere.

PH. Et quid dicam, et quid respondeam huic cano puero prorsus me fugit, adeo hisce suis male gratis narrationibus, meum confudit animum. Tibi admodum gratulor ó senex, quod* post tam honorifica triumphorum gesta, a superis concessa est corporis requies.

GEN. vin dicam? nulli sanctorum, mentis beatitudinem invideo.

GEN. [sic] Quo modo suo se pascit succo Limax.

PH. Vale ó strenue. Iam plus satis audivi, atque optime, etiam usque ad talarem sudorem, intellexi.

SEN. Quid narrem de instauratione huius desolatae domus? Audistin?

PH. Centies.

SEN. Cum quadam die.

PH. Scio.

SEN. Quidam.

PH.

{page 109} {p. G vii} Pomilio 9 end

quis nesciat?

SEN. homo subitus, solers, sed.

PH. Iterum vale.

SEN. nil agis, usque tenebo.

PH. Sine.

SEN. non sinam, te amabo.

PH. ó felicem surdorum conditionem.

SEN. has erexit aedes, dictum. factum.

GEN. hui. Aphiae ignis.

SEN. Affore enim, ut quae olim mutis, caereisque et exanguibus ornata esset statuis, vivos, sanctos, facundosque aleret viros, ut nunc alit.

PH. quot modo?

SEN. quot? an te latet unum aliquando, pro centum esse? ut quondam me ad Lyrim, in acie. Audi.

PH. non audio.

GEN. Dii te male perdant, Sambuce.

PH. Est profecto aliquid cum naturae repugnandum sit, te ipsum vincere: ad trasonicas vero ineptias, faciles admovisse aures, plusquam Herculeum. Mallem, si diis placet, tres totos nauteae cyathos, etiam pissitando bibere, quam iterum tam ventosas sycophantias audire. En aurum quaerebam, sed Carbones, quod aiunt, somniorum in manibus inventi. Ceterum piscator ictus sapiet.

Pomilio 10 (page 109; p. G vii)

PHI. ACASTUS. VEREDARIUS.

QUID Agam? In puteo sum. Vah temerario sortis* quid interest. Adeo ne omnibus licere vetera immutare? nova proferre et quadrata, quod aiunt, rotundis invertere? Quid quaeso aliud esse cogitem hasce vulgo spectabiles, ac insolitas depromi mercaturas, quam nobis ipsis blandiri, et universo ante acto orbi derogare. Scilicet, ut interim de Evangelii synceritate

{page 110} {p. G vii v} Pomilio 10

nihil dicam, hic Augustino, vel Basilio: ille Benedicto, aut Francisco, sanctior est. Hi enim prae nobis sciolis, impedio* hallucinati sunt. Insaniam, si tam sancta, summa cum religione calcata vestigia, post hac, ut mea fert aetas, non servo. Atque eo magis, quod* iam longissimo rerum usu, et experientia, exploratissimum habeo, eum spiritus ardorem, et sacros apostolos, et caeteros praeclaros homines, ad scribendum illos Evangelium, hos privatas leges, incitasse.

Nec ob aliud, nisi ut securius, ac syncerius, Evangelio obtemperari possit, imaginati sunt patres, et claustra, et muros: et si quid est aliud horum simile. Sensuum enim conditio ea est quam nisi huiusmodi fraenes, et contineas pedicis: mirum quam facile defluat, et devertat ad ea saepe appetenda, quae ipsi prorsus, ac de diametro, repugnant Evangelio.

ACAS. Magnam affectuum profecto animis vim inesse iudico, simulac video Phileremum, virum quidem optimum, ac gravissimum, secum loqui. nequeo satis mirari, neque coniiicere nisi quicquid est procul, hinc prius quid sit sciscitari. Philereme.

PHIL. Quis me vult?

ACAS. te salvum a Turcharum triremibus invenire gaudeo.

PHI. Oh. Et ego te, ó Acaste, a formiarum, et Terracinae periculis.

ACAS. Utrunque enim (quod cum Romanorum campanorumve dixerim venia) nostri temporis ignaviae, acceptum referre liceat. Quid tua solitudo? tuta ne est?

PHI. Cisternas exhaurire possunt. Caeterum omnia nuda: etiam arae. Iam annus est, quo in hoc sinu no-

{page 111} {p. G viii} Pomilio 10

stro, perinde tuto spatiantur remigio, ut ludum dicas. Nunc e lucrino solventes: Inarimem cum Prochita infestant: nunc Puteolos depopulantur. Sed nec a Pausilypo collium omnium pulcherrimo se se temperantes, tractu continuo, urbis molem terrent: Vesevumque [sic] radentes, modo Stabias, modo Surrentum, modo Massam identidem fatigantes, inter Minervae, et Caprearum buccas, ut lubet, evadunt: Gallumque fidissimum piratis latibulum, preda onusti, repetunt. Sed Romae quid fit?*

ACASTUS. ut olim, et aliquanto suavius, quietiusve: nam Clemens regnat: quin fusis, ac profligatis Turcarum copiis: quod quidem Caesaris prudentia, et militum robore speratur brevi: nihil erit quod Augusti tempora desyderent mortales. Praeterea dici non potest, quantum ad sublevandam rem christianam affectus sit Pontifex.

PHILE. Oh videam, et emoriar.

ACAS. Annum vitae exora, nec eo amplius. Interim res sub malleo cuditur.

PHILE. quid sodes?

ACAS. scilicet frugalitatem ad antiquam, revocanda res est. Caeterum, ut tu te scis, archana in plebem non facile iaciunt principes. Letantur interim omnes, applaudunt: et bene tam pio

negocio imprecantur. Videbis (veri si nunquam fallit imago) summum ipsum verticem, non tantum auro et gemmis, quantum sapientia, et qua anteire omnes debet sanctitate, onustum, et gravem. Videbis inquam ad sui regis exemplum, flammea illa lutea, ex ardenti solis ra-

{page 112} {p. G viii v} Pomilio 10

dio aliquantisper decolorari: Alta mitrarum labia, sua sponte demitti: Sacerdotum licentiam fraenari: Claustra lustrari: et tuas denique solitudines, a sentibus, ac spinis affabre expurgari. nova aetas. novus ritus. novus cultus.

PH. novus cultus?

ACAS. non novus: sed senium repuerascet: et candidius nive erit in selmon.* Proinde tu, et tecum una omnes, quibus aurea est aetas cordi: in deo exultate adiutori nostro. Ecce innovo omnia dicit dominus.

PHI. putasne ò Acaste in illud nos aetatis incidisse, quo vates ille affore dixit, ut nos, ac coelos exaudiat deus. Caeli terram. Terra triticum: et haec omnia Ihezraelem? Quo nomine talem appellabimus aetatem? O Felicem pontificem. O fortunatum Caesarem: quibus ab ipsa mundi infantia, ea servata est temporis facies, et forma, pene quam christus ipse in crucis tabula, suo sibi cruore effigiavit: atque acerbissimo fato mercatus est. Post haec. ait, vocabitur civitas iusti, urbs fidelis.

Interim scio, ex aere militari ab ecclesiarum aerario exculpto, mortalium plerosque angi, discruciarique animo. durent quaeso, et melioribus se servent annis. De summa enim totius orbis, nunc inter duos caesares, armis decernitur. In quem certe belli favor inclinaverit, is procul dubio rex orbis erit. Si noster: quod piis exoptandum est votis: Ecclesiarum damna resarcientur, eversa instaurabuntur, et sata ipsa prae se, suaque sponte, pro ordeo gemmas, et pro tritico dabunt aurum. Si alter ille, quod omen avertat deus. restituentur ruinae, cum ne ipsum

{page 113} {p. H} Pomilio 10

quidem ecclesiarum nomen esse patietur? Sacra claudentur Baptisteria: arasque videbis, harena ipsa litorali minutius proteri. non Crux. non unctio. non his praeciosius Evangelium. O summe, et immortalis pastor tam saevam, et inexorabilem ab ovili tuo, coerce rabiem.

Ferunt ò Acaste, hystoriarum scriptores, Neronem unum Romae exoptasse iugulum. Quid vetat me idem de aure, cunctis christianis efflagitare? quis oro, intellectus unitatem et si non illam indoctam Porphyrii: at illam certe doctissimam Pauli, qua omnes hortatur idem sapere, idem intelligere, idem sentire, in dei ecclesia desyderare prohibet?

profecto hic blesus, Edentulus, ineptus, ac parvi succi vietus clamaret, et diceret omnibus ea, quae inter cautes plerunque, atque inter quercus melius quam* in aulis, et frequentia perdiscuntur. Ubique fateor etiam in plumis, et Peristromatis, intelligi potest veritas: Tamen nescio quo pacto, clarius illam in solitudinum ripis, atque antris, et pervestigamus, et dispicimus. Sed quid demens impossibilia cupio?

ACA. adi Romam.

PH. me ne pannosum, pudicum, deformatum, Silicerniumque orbis adire maiestatem?

ACA. Urbs est ingenua, et ad quaevis obvia, ac facilis. Et gravitatem illam, quam tu maiestatem appellas, senties ad ea quae ad veri cognitionem pertinent, impense auritam. Quin summus ipse Pontifex diligentissime illos qui sancte, ut tu, degunt, et amat, et

observat: neque ulla alia in re, tanta afficitur oblectatione, quanta si quis eius vellat aurem, et dicat. Sum-

{page 114} {p. H i v} Pomilio 10

mum Pontificem oportere summe esse bonum. summe iustum. summe clementem. atque orbi universo summe salubrem.

PH. Non sum tam parum apud me, ò Acaste, neque adeo tam impudentis audaciae (licet forsitan senilis aetas, hoc suo sibi iure vindicare posset) quod* ex me credam prodire posse vel sermonem, vel actionem, quam ob rem tantus princeps ne oculum quidem flectere debeat. Adibo tamen, atque humi pronus, huiusmodi incomptum sumam exordium. Ego Phileremus Christi servus, natu grandis. Mantuae genitus. Ego inquam* sacris ferme ab ipsis meis incunabilis, initiatus.

Civilem olim, nunc solitariam agens vitam, non tibi summe Pontifex, sed orbi gratulor universo: qui cum sit iam tandem a noxio excitandus veterno, te authorem, te actorem, te operatorem habeat. Eya tu cui soli in terris, animarum custodia est credita: dum Caesar altum ad Danubium fulminat, atque illo quo vi et armis irrumpendum est, affectat viam: interim ad sponsae ornatum te accingi fac sentiant coelites. videant homines. Indignentur daemones.

Age iam ó maxime, ex stibio cerussam, ac purpurissum deprome: nam et coelestis sponsa suos habet fucus. et tu, si nescis, Paranympus es. Acque enim in te omnes ambulabundi fixos tenent oculos, atque solent hi, qui ex carceribus, ac repagulis, nunc nunc prorupturi, tubae signum expectant. quo dato, nulla mora, nullusque torpor, quin alter alterum antevertere certet. Et quia tu, ò immense, tecum semper quae te decent, et vis, et agis. Incipe

{page 115} {p. H ii} Pomilio 10

tamen, ut aliquando videant homines te velle quod potes, et posse quod vis. Accensum quippe lumen quis sub modio abscondit? Tu Candelabrum. Tu lumen. Tu sal. Tu Civitas in monte sita. Velim caveas ò summe, ne oblanguescat flamma ne sal desipiat. ne Civitas in alto posita, discedat misere, atque hiet. Volunt hoc, ne ad unum omnes congeram ordines, et superi, et inferi, id est et dii, et homines. Stat igitur abste, et nutat orbis.

ACAS. Quid si modum, ut sua est facilitas, a te?

PH. dicam tunc. nam tibi tantum ne ocii ab re tua est, ut haec audias? vix credo.

ACAS. et ocium, et voluntatem habeo: Tamen infra Trinundinum, repetenda est mihi Roma: ubi ad hanc palestram te moror.

PH. nihil iocundius. nam forte in conclavi me ad Pontificem* referente, tu in subsidiis succenturiatus eris, si quid defecero.

ACAS. faxit deus opt. max. ut exores, quicquid orare paras. Vale interim.

Et tu. Mergilinae. Pridie. Kalendas Ianuarius.

{page 116} {p. H ii v} Polipus

Polipus

Ad Angelum orientinum amicum.

POLIPUS.

Solventibus e Genuae portu, seu mole: et ad Laevam non longe a terra sinuatim navigantibus, mons quadraginta ferme stadiorum emensus longitudine, horridus quidem, nudus, et asper, ab incolis loci, caput montis dictum offertur: haud aliqua in re admirandus, nisi quod* discoloribus naturali quodam coemento congestus lapillulis, Sesquipedale vix saxum exploranti spectandum prebet. Huic enim continuum cum fluctibus est certamen: nam reliquo sedato aequore, is raro conquiescit. Qua praeterea facie in Corsicos, ac Sardiniam, prospectat cavernosus, passimque praeruptus eminet, tum herbarum, tum arborum honore prorsus exutus: a tergo tamen multo frutice felix, et densus.

Efficitur porro in petricosae huius molis latere, ad orientem portus: quem, ut est memoria proditum, antiqui Delphinum dixere, modo sinum accolae: Statio quidem tutos inter liguriae secessus, bene fida carinis. Eo genuensium classes, cum hostibus cunctis, tum barbaris potissimum formidatae, vi aliqua ventorum impulsae, saepe divertunt. Illo Celoces. Corbitae. Pristes, Triremesque, sese ab alto tutae colligunt. Senes hispidi. Iuventus ferox. agilis bellax. Impigra. laborisque vel durissimi haudquaquam impatiens: Victum tamen, demptis retibus, imploratura. ocio identidem, ac luxui tempestatibus delphi-

{page 117} {p. H iii} Polipus

niaci oclusi, facile indulgentes: simulatque tranquillitatem instare praesentiscunt, armatis iterum lembis, partim pisces, partim corallia piscaturi, cuneatim exeunt. Ex quibus uni, eiusmodi sese obtulit fortuna. Quod licet lusum magis, quam* gravitatem, quae virum sylvicolam deceat, prae se ferre videatur: ea tamen animi sententia, a me scribitur, qua illud loco Paroemiae in Symposiacis a Plutarcho refertur. Navigatio inquit, iuxta terram: rursum ambulatio quae fit iuxta mare, iocundissima est. Siquidem et anachoritae suas habent perdices.

Piscator igitur quidam delphiniacus, Liberide nudior, simul cum filio grandiusculo, cimbam e palo solvens, non procul nassam in profundum demisit. Quae postquam sub undis parumper morata est, multis gravida piscibus, ex trahitur. Dii boni inquit, quam fortunate hodie. Retorque puer dexteram, et laevam remitte. Retorque inquam, et illum ad scopulum applica. Retorquet puer, Remitti, applicat: ac demum cum nassa ambo gratanter exiliunt. Occurrit interim cum infanti parvulo applaudens uxor: quae communicato praedae onere, cum viro domum rediit, nassa rupi innixa. Quam subinde ut vicini gallus, escae adhuc fragmentis respersam, casu reperisset, haud diu anceps, intro sese conclusit. Vulpes interim annosam post Myricam latitans, suoapte fidens ingenio, gallum quam* primum subsecuta est. Ingressa igitur captum aggreditur. Ille contra, obstat. haec dente, et astu: ille rostro, et ungula. Nassa autem

{page 118} {p. H iii v} Polipus

tanti iurgii impatiens, diutino nec non agitata* impulsu, e saxo demum in altum, maximo cum fragore devolvitur. Sic quae piscibus nuper foeta, e salo exierat: per aquas postea, cassis duorum tam inexorabilium hostium facta errabunda natat. Crinitus interea Polypus, fortuito non longe venans, hanc ut conspicatur accelerat, ac protensis acceptabilis, caveam cum capitivis* [captivis], ocissime raptat et ianuam ingressus, praedae inhaeret.

Piscator inter haec, fortunae lenocinio pellectus, ad scopulum nato comitatus, ut rursus nassam deponat revertitur. obstupet primo senex, semota nassa. At puer affixo propensius visu (huic enim aetati cesii modo sunt oculi) sub undis illam ut vidit ludentem: statim solvit, et nassam hamato fune demisso, subnexuit: Exerta itaque venatione mirabile caeteris delphiniacis spectaculum ostensum est.

Caeterum secessui, haud procul sacer collis eminent, quem patres a quadam Cervariorum familia, Cervarium nuncupavere. Cui quidem undequaque arrident oleae. Myrti. Lentisci. Castanae. aeraeque cupressus. post haec, vinearum copia non insuavis. Citra. Ficus. et huius generis caetera: Hesperidum utique delitiae. Quandoquidem Heglen, et cum sorore Erethusam meum illum collem habitasse opinantur quidam. Illic enim meus olim amor: mea (heu cum licuit) quies, mea pax: meum silentium.

{page 119} {p. H iii} Pomilio 11

Pomilio 11

Aliquando desistendum esse ab incoepto. Ad R. Nicolaum arch ep[iscopum] Capuanum.*

FUNTANUS CHRYSOGONUS

Quo vadis Chrysogone?

CH. Vado iterum crucifigi. nam virum bonum semel molestiis affectum, aiunt, non plene sapientis calculum esse assecutum.

FUN. prorsus. si sapiens esset, nec semel, nec iterum affici posset incommodo: Sed ad eius generis iniurias etiam millies repetitas, per inde sese impenetrabilem praeberet, atque solent ad undas immotae rupes, ac sine sensu scopuli. Sic loquuntur hi qui in saeveris porticibus spatiantur.

CH. hoc quidem inter Stoicos, et nostrae professionis viros interesse arbitror: quod illi suum sapientem inanimum ferme, et quasi truncum in cruciatibus esse somniant: nostri autem melius. quippe qui suum eum sapientem autumant, qui et animatus sit, dolorique subiectus, sed ea animi aequabilitate, ac robore, ut ne lineam quidem transversam doloribus cedat, dimoveaturque a iusti viri officio, et statu. Quanto igitur firmiter quam Stoici, Paulus. In omnibus ait, tribulationem patimur, sed non angustiamur. Aporiamur, sed non destituimur. Itaque unico servatoris nostri ictu, quo Simon admonetur eo trahendus quo nollet, omnia stoicorum somnia dissipata sunt. Patitur igitur vir sapiens: afficitur: commoveturque sed tamen abest ut a molestiis tam acerbe vexari existimem quo minus eiusdem possit esse semper coloris, atque animi ut de Socrate legimus, sive in secundis, sive in adversiis traducenda sit vita. quam quidem animi stabilitatem non minus vere, quam docte

{page 120} {p. H iii v} Pomilio 11

in se demonstravit Paulus, cum, inquit. sive Vivimus, sive morimur domini sumus.

Quapropter quo in genere tormentorum: aut in qua orbis regione excrucietur sapiens, haudquaquam referre putat. Eadem enim vultus saeveritate, aequae mollia uti aspera intuebitur: superabitque: sentiet tamen, ac dolore afficietur. Quid quaeso turpius illo qui in molestiis praefracte quidem nimium dolet? Nescio sane an plus ille detestandus sit qui crudeliter in alterum desaeviat, an is qui muliebriter in iniuriis eiulet, atque ingemiscat, ut

nuper ex nostris quosdam vidimus adeo confractos an, imout* [errata corrects to animo ut] pene insanirent, Sed, ut opinor, Stoicorum indolentiam ita probas, et asseris, ut nec ab ironia vaces.

LUC. recte opinaris. Quamobrem hoc modo philosophantibus ommissis, magis domestica pertractemus.

CH. ut vis.

LU. mirantur plerique ó Chrysogone, et, nec sine ratione quidem, quaerere solent, quo proposito, quave animi constantia a nonnullis ea quae nuper ab illis ipsis uti vilia, et quamminimi momenti pondus prae se ferrentia* [sic], fuerint abiecta, sint denuo repetita. Aut enim, aiunt, in re ipsa intermissa [sic] turpitudine fuit deprehensa, aut ab illo qui repudiavit, manavit error: aut recte [errata corrects to certe] ab utroque fuit peccatum. Atqui satis amplum stultitiae genus esse arbitrantur, illud ipsum vel sectari, vel amplecti, ex quo scias oriri posse aut turpitudinem, aut damnum: sed miserius, si repetieris, quod iam olim ut turpe abieceris. quin neque a levitatis nota vacare eum, qui et si imprudenter in aliquo haud prorsus recto, ferendo tamen, se se

{page 121} {p. H v} Pomilio 11

immiscuerit, ab incepto declinat, et rem alioqui ad rectam reducendam lineam, iam in ulnas receptam deserit, atque contemnit. Etenim hunc parvi pensi hominem appellare soliti sumus.

CH. felix Lacedemoniorum respublica ó Luciane, si in re periculosa et ut videbatur exitialis, ad [ab*] incepto destitisset Callicratides, et Cleombrotus non tam temere suorum timuisset invidiam, cum tam funesta suorum Civium clade, ex qua Lacedemoniorum opes, ut ait Cicero corruere. omnino itaque a caepto removendus est vir bonus, in re nefaria maxime si fuit exordium [sic, no period] Quid oro in re turpi, vel commodi, vel glorie nancisci* potuit? Errant igitur qui in eiusmodi actionis remissione levitatis infamiam verentur, de qua quidem turpiorem postea, stultitiae scilicet, et temeritatis incurrant, ut illi quos nuper commemoravi.

Et haec de re omnino inutili, et turpi sint dicta. Secus vero dicendum de re bona, sed ex qua nasci potest perturbatio aliqua vel molestia (aiunt enim antiqui mala omnia a bono principio originem habere) aliquo tamen modo vel tollerenda, vel ad commodiorem statum perducenda. Siquidem magna pericula virum fortem paululum forsitan movere possunt, parva neutiquam.

Verum omnia vir bonus, modo a turpitudine sint libera, in suum trahit colorem: nam quae turpia sunt, ne dum sunt adeunda, sed fugienda omnino, et a sapientum congressu dimovenda. Ex quo videri potest sapientem aliquem a caepto saepenumero subtrahi: non quod ipsa per se sit detestabilis provincia nec is qui deserit appellari queat vel stultus, vel inconstans: sed quia

{page 122} {p. H v} Pomilio 11

pro tempore eadem ipsa res bona [errata corrects to quam bonam] esse existimat, uti vere est, quibusdam exteris interdum coercetur angustiis, ut vix optimo cuique sit integra in ea ut caepit perseverandi facultas. Recte igitur cedit vir sapiens ad tempus: ne in re illa in qua nihil aliud laborando, quam odium multorum acquiri animadvertit, aetatem omnem invitis (ut aiunt) diis consumpsisse videatur.

An vero proposui mutatio in bono viro laudanda sit, vel ne, iudicent hi, quibus antiquorum gesta perspecta sunt sapientium. sed stulte profecto ageret nauta, qui semel, atque etiam, maris saevitiam expertus, redditae tranquillitatis occasionem non capesceret: ac navigationem, sedatis undis, non repeteret, udoque fungeretur. iam plus aequo nostrum incruduerat mare: sed nunc venti, ut audio, quievere. Quis igitur reditum ad navigandum prohibet? quis tam saevus? In eadem enim fere sunt culpa, et qui naufragum arcent a litore, et qui navigantem in tranquillo, a libero mari.

Quid si ille, ut iterum virum bonum ab errore vendicemus, qui caepta deserit, meliora interim, quod* ad reditum invitent caelites, exequitur? Semper itaque cum viro bono, sive in inchoato perseveret, sive desistat, nusquam non optime agitur. quippe bona qui* melioribus, meliora optimis solatio mutuo temperare est solitus. iam et frequenter accidit ut ex bonorum virorum consuetudine, et societate ea ipsa reddantur optima, et perfecta, quae ne bona quidem apud nonnullos esse existimabantur. sed infelicissima illorum conditio qui sive ira, sive simultate aliqua moti, honestis sane viris, atque ad decoranda quaevis etiam minus hone-

{page 123} {p. H vi} Pomilio 11 end

sta idoneis, ad primum illud rationabiliter intermissum, iter obstruunt: vel si obstruere pudor vetat, id saepe agunt quod mulieres, quae adulto infanti mammas quidem admovent, sed adeo tristibus infectas succis, ut magis puerum a lacte dimoveant, quam provocent. Invidiae prosus sunt haec, atque iniquitatis indicia. Itaque neque a re ipsa saepe, neque a desertore, sed a causa nescio quae aliunde exorta nascitur illa vulgi opinio, ut levem illum asserant, et inconstantem, qui* tum firmiter, tum sapienter ad rerum* eventus, atque ut tempus postulat, sive perfectio, sive reversio fienda sit, se se accommodat.

FON. Reclamabunt hostes, et concoctam iam remonent bilem.

CH. Et hi quoque patientia superandi erunt.

FON. aquas turbarum dabunt.

CH. Ego ignem illum congestum, quo a Paulo, ad promerendam inimicorum gratiam, provocamur regeram. omnia denique cum Paulo ero omnibus, modo resarciatur inter nos Christus amor scilicet et benevolentia illa, quae ab impiorum vita aequae horret, uti a tenebris sol solet. Romae.

Pomilio 12 (page 123; p. H vi)

Remigratio

CHRYSOGONUS LUCIANUS. REMIGRATIO

Remigras Chrysogome [sic]?

CH. post quadrimos saltus, ad antiqua remeo stabula, iterum saltans.

LUC. oh salvam rem esse arbitror, simulatque saltantem prospitio senem. sed quos saltus ais Paralysis?

CH. A Mintio primum, infaustum usque ad Conarum. deinde a Conaro ad imas Apenini radices: deinceps per nivas pelignorum alpes ab Apenino me felix pelexit Campania. postremo ad Euganeas resilio paludes.

LU. in mentem venit mysticum illud de dilecto

{page 124} {p. H vi v} Pomilio 12

epithalamium, in quo illum Capreae, cervorumque hinulo similem esse iurat sponsa, per colles ac montes saltanti.

CH. dilectus enim ille cuius Cincinni rore pleni esse dicuntur, per mystica montium supercilia, atque per humiliores cordium clivos (nam superbus* est) aenigmaticis solet subsilire saltibus, ut quondam in praefinito tempore a patre, caelo egressus, terras has miseras unico invisit saltu: quibus vix tactis, tanquam qui de torrente in via bibit, caelos, iterum, unde nunquam discesserat, repetiit. Qui saltus sive mortalium, sive sint Caelitum cum his comparandi? saltavit et olim Abraam, atque exultavit ut videret diem domini: saltavit et eius frater de sulphurea sodomorum procella ad montem.

Quid dicam de felicissimo Eliae saltu ad nubes? Sed et coram arca testamenti, quamquam planioribus numeris saltavit David. Saltat denique et nunc etiam perfectissimus quisque, cum de virtute in virtutem videtur deus deorum in Syon.

Quo quidem nomine, aut titulo, saltum illum adornem, quo vir sanctus per foedas molestiarum valles festinans, nunc tumoris colles, nunc altiores Philaebae montes praetervolans, ad illud sublime perfectionis fastigium iam pervenit, ut cum Paulo se se intermisisse dicat incohationis Christi sermonem, non rursus iaciens fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis, et fidei ad Deum: sed pro consuetudine exercitatos habens sensus ad discretionem boni, et mali: perficit sanctificationem in timore domini? ó beatos mentium huiusmodi excessus. At ò nos infelices. Quid quaeso Luciane nostra conditione mi[-]

{page 125} {p. H vii} Pomilio 12

serius? Quid nostro arbitrio infirmius, corruptiusque? Quid tam in belvis detestandum quam in nobis vel ambitio, vel cupiditas? iam et nostrum unicuique sui sunt saltus, vel hi quidem, quibus de Craticula, quod aiunt, in prunas. Huius enim generis fuere olim apud Romanos, Tiberii saltus, et Neronis: apud iudeos Roboami, et Acabi tyrannorum. Sed et illud infelicissimum saltationis genus, qua de fonte in lacunas desilitur, uti quondam imperatorum pessimus Iulianus: sed ante eum, Christi venditor Iudas. nuper ex nostris nonnulli, quorum memoria adhuc est recens.

Nimium de alius dico, proinde ad meos saltus redeo. putabam enim (quis non putasset in tam bellis pollicitationum naeniis?) meum fore ultimum in Agathae villa [errata corrects villae] sublimi. Sed nondum Aquilii formulae Caprollam attigerant. Quid doli mali inanimas rupes insimulo? Multi enim Cannii: sed plures Pythii. quid plures aio? Unus inventus est qui fabulam totam de Cymba, de pisce, de scalmo confecit, et perfecit nomina.

Erro iterum. nondum enim stabilis divinae providentiae oculus, de quo immortalium mentium cardo omnis, velit nolit, vegetiores, quam qui desyderari queant, auspicatur motus, raros vasto in gurgite vere nantes despexerat. Quis enim in tam saevo, tetroque procellarum tumultu, propriae se tuto credat cortici.

LU. huiusmodi doli mali reos, pollinctores rectius, quam pollicitatores appellaverim.

praeterea raro tam dulces gerrulae carere possunt praestigiis.

CH. se se iactet ut lubet gens illa. Satur sum, nam meus me antiquus manet nidus.

LUC. Me deseris?

CH.

{page 126} {p. H vii v} Pomilio 12 end

Sic opus est: quandoquidem mihi hodie praetervadendus est cum luce Rubicon.

LUC. Vale igitur mi Storax.

CH. Et tu cordialis amicorum pulville. Arimini. Pridie id. Maii.

Pomilio 13 – Massa (page 126; p. H vii v)

Ad Magnificum Ioan. anto. Alexandrium amicum.

DE NOMINE EREMI CAPROLAE. Et Massae urbis.

CHRYSOGONUS LYSANDER.

Nuper ó Chrysogonus cum Romae in libraria quadam taberna, ego et Iulius noster nescio quid literarum una commentaremur, casu inter nos est dictum in eadem officina tuam esse ad Alarconem, de vallis Siciliana nomine interpretationem. hanc cum primum oblatam legi.

et, ut verum dicam, avidissime perlegi. Placuit mehercle mirum immodum: exarsique non mediocriter* [errata corrects repetition of -cri] abste sciscitari, quid sibi velit huius nostrae civitatis nomen. quid Caprollae. Mirum quantis involuta quorundam ambagibus, res in involucro versetur, quae quidem nisi opportuna ferantur suppetiae, interibit omnino.

CH. Vellem ó Lysander cum Christianus sis, Christianum etiam, si in re aliqua citandus esset testis, testem adhiberes. Quae, inquit Paulus, nobis conventio cum Belial?

Ly. aedepol ó Chrysogone de quo teste dicas, plane me latet.

CHR. Res profecto in tuto est.

Ly. Miror quid narres.

CHR. In

{page 127} {p. H viii} Massa

conventis plerisque, unum et alterum sufficere aiunt testem, vel hunc mortalem, et bona fide probum: at tu (hui tutius) scelestos nescio quos citasti deos. O indignos nostrorum literatorum mores. Insaniam, si tu qui Christianam profiteris Rhetoricen, alioqui candide, et erudite, ne schedulam quidem minimam ad amicos queas scribere, quae centies non sit Castore, et Polluce intertexta.

Ly. his enim gemmis perornatur [errata corrects pornatur] oratio, salva tamen in suo statu permanente religione.

CH. Vide quid agas? etiamnum gemmas vocas tam detestabiles voces. In re seria licuit forsan vel Caecilio, vel Senecae suas lacunas accire Stygias, sed Christianum vel ioco quidem, eius generis testes, ac iuratos commiscere deos, minus decere arbitror, quam si vel Brassicam: vel Betam, vel ventrosam quoque citaret Cucurbitam. Insulse igitur Reginaldus noster narnius, qui in Epistola illa sua ad me tam grandi lucerna elucubrata, passim Herculem nusquam Christum nominat.

Haec pauca tecum amanter o Lysander, quem cupio a triviis vindicare: et quem sciam dente magis amicorum delectari, quam palponum blanditiis, conferre libuit. huiusmodi enim instituti amicos invicem esse decet (de amicitiiis communibus non loquor) ut verum semper, falsum nunquam loquantur: Neque minus quicquam in illis locum habere, quam illud

comicum. veritatem scilicet odium parere. Quod quidem a Cic. [Cicerone] quoque fuit animadversum, in suo Lelio. In amicitia, inquit, nihil fictum, nihil simulatum. sed quicquid est, verum, et voluntarium.

{page 128} {p. H viii v} Massa

LY. Sic mihi quoque videtur.

CH. ad Caprolam redeo, ut satis tibi faciam, quam tamen Capronam libentius appellaverim: pronam videlicet comam a capite. sic enim hoc nomen interpretantur. Oculos parumper, te quaeso, ab imo hoc clivulo ad summum usque per gradus, montis fastigium sustolle: et circumspice an similis quicquam excogitari possit? Vide, quomodo rigidum illud, et prominens in apice supercilium, quoddam prae se ferat, instar humani vultus, sincipitium. Ex quo oleae primum: deinde variis contextum arbustis Myrtetum nascens, usque ad aedium aram per molliorem clivum, uti per frontem quandam, decentissimo capillamento difunditur. Ubi item mons paululum in se reflexus sinum efficit, amoenum sane, et apricum: et in quo aedes, ac hortorum decor. atque iterum viridi vestitur olea, inde precipiti derepente hians scopulo, ad cavernosum devolvitur litus. quod quidem hinc inde praeruptum ac sinuosum, horrendos ex repetito fluctuum congressu, latratus excitat. Sunt et qui censeant, inter quos Theophilus noster, non a Capronis, sed a Capreis Tyberii latibulo insula vicina, quasi capreolam dici posse hanc parvam insulam, quam vides, a conspectu litoris, vix stadio disiunctam: Et ex qua monti nomen. Sed sive a Capronis, sive a Capreis nomen sit inditum, nimium Crasse, meo quidem iudicio, profertur a Massensibus. Qui et ipsi suae unde Massae nomen, originem habuerit, ignorant prorsus. Tantum abest ut Massam a massico, unde.

{page 129} {p. I} Massa

Vina massica sunt dicta, de quibus Maro. Vertunt felicia Baccho massica, derivari existiment. haec enim ora, complexu continuo, Minervae promontorio copulatur: quod sane longissimo maris tractu, a massico seiunctam esse videmus. Arx mondraconis nunc est dicta, nostra autem non arx, sed urbs.

LY. admodum quae dixisti, ne amplius pol dicam, mihi arrisere à Chrysogone: utri tamen ex interpretationibus assentiar, nondum habeo compertum. Sed tamen ne Lupum, quod aiunt, diutius auribus teneam, utramque pari complectar iure. At ad Massam nostram, tam vicatim concisam, te redire expecto.

CHRI. Miraris? Massa enim suis licet intercisa, atque sic dicam, luxata sit vicis, et iis admodum numerosis: nec muro, nec fossa cingatur: Civitas tamen est nobilis: ac rerum omnium ferax. Aliud est si civitatum nobilitatem, et robur, invallo magis, et muro, statuendam esse ducas, et non potius in civium ingenio, et fide. quibus quidem praesidiis adeo tua fulta est Massa, ut nec ipsi Neapoli cedere videatur.

Viros enim cum primis alit ingeniosos, robustos, et ad tollerandas maris iras audacissimos. Nulla enim gens tam bellax: atque ad propulsandas inimicas classes tam ferox, et impavida. Interroga te rogo, tuos natu grandiores, an in hoc nostro Thyrreno, alicui ex vicinis, fuerit unquam secundus Massensis, sive navali, sive campestri pugna, fuit cum hoste confligendum? Sciunt antiqui reges, quotiens restitutae sint in bello acies

{page 130} {p. I i v} Massa

pene attritae, propter massensium virtutem, ac robur. Massam igitur hanc urbem recte appellandam esse censuit, quisquis ille fuit qui huiusmodi nominis author extitit. A prima enim naturae lingua, Ethymologiam est auspicatus. nimirum quod illa Massa, nos iugum, seu onus grave, dicimus. Sed vereor ne Civitas quae olim grave barbaris, dirum, atrox, et inexorabile posuerit iugum: sibi ipsi nunc facta sit pondus, et molis, vel ipsius Sisyphi saxo, ponderosior, de quo Naso. aut petis, aut urges rediturum Sisypho saxum. Sic tui Massenses, suas sibi volvunt quotidie, urgent, ac repetunt versuras. nunquam vestigalium [errata corrects to Vectigalium]. nunquam foenorum. nunquam pignorum finis, vel modus. quibus quidem oneribus adeo obruuntur, ut nesciam an gravius sub Inarime, Thyphoeus.

LY. perplacet rei interpretamentum. Sed res ipsa displicet. Adeo ne, ut interim pro patria, mihi liceat aliquantulum subirasci, quotidie vectigalia? [corrected as above] adeo ne exactiones? Adeo ne venditiones, et ea reciprocatione, repetitas, ut nos soli ad instaurandum aerarium pub.* nati esse videamur?

CHRI. Meliores profecto desyderandi sunt dies. quos quidem (si mens divinae lucis natura particeps, futura praesentiscere aliquando potest) prope esse video. Nam ad revocandos annos aureos, mirum quantum incaleat tum summus Pontifex, tum Caesar ipse, qui modo ad Danubium robustissimo cum exercitu, rem orbis ac pacem, ab atrocissimo Scytha extricate [errata corrects to exiricare [sic]] satagit.

{page 131} {p. I ii} Pomilio 13 – Massa end

Proinde id nobis agendum esse duco, quod solent hi qui in acie, etiam maximo cum saluris discrimine, libenter versantur, ut pace tandem reddita commodius fruuntur. Haec habui quae de Caprollae, et Massae nomine dicerem. Tu Lysander apud me Itym habens, venare leporem. Massae. Idibus Augusti.

Epistle to Alarcon (page 131; p. I ii)

ALARCONI INVICTISSIMO Caesarei Exercitus Imperatori. Chrysogonus Mantuanus Anachorita. S.P.D.

Nihil aequae in communi mortalium usu, et consuetudine Illustrissime Alarcon, quod prae se ferat animi inscitiam esse existimo, quam si in quo habitat, quis loci nomen, et nominis rationem, ignoret prorsus. Exactius enim pervestiganda res est: vel saltem, si nimia laboratur vetustate, aliquo succurrendum verisimili, ne exolescat omnino, haud raro quidem tuos illos Tussicinos, cum illic sub vasta Apenini mole, solitariam vitam agerem, interrogare solebam: quid de vallis nomine sentirent. Mussabant omnes etiam natu grandiores: Ego ne cum caeteris? Scripsi igitur ut res altissimo [sic], occupata somno disquiri potuit. Cuius quidem narratio: vera ne sit, vel veri proxima, alii iudicent. Tu princeps, ut tua est magnitudo ingenia eiusmodi quae ad tuas, tuique regni laudes procli-

{page 132} {p. I ii v} Tussicia

via sunt, ames velim, ac boni consulas. Vale inter caesareos duces facile princeps. Massae. Cal. Dec.

Tussicia (page 132; p. I ii v)

DE NOMINE VALLIS Siciliana, atque oppidi Tussiciae.

THEOPHILUS ET CHRYSOGO.

Quid rides Chrysogone?

CH. Meam rideo dementiam, ne dicam periculum.

TH. hem quam lacera est vestis?

CH. perii, nondum in veste tantam animadverteram stragem: nam dum praeruptum illud vix vi adrepto saxum, manibus excidit cui fidebam virgultum, et preceps in hanc usque planiciem, per densissimos vepres devolutus sum.

TH. Videsis amabo qualis frons? sunt ne vibices, an lute notae?

CH. Utrunque.

TH. sed quid negotii te ad tantum adegit periculum?

CH. periculum? Videsne quam exulceratae sunt manus?

TH. Et claudicas?

CH. profecto luxatus est pes.

TH. ridiculum, ignoras ictus.

CH. ridiculum? nondum sanguis deferbuerat, sed ut dolori aliquid interim tribuam, magna est arbustis illis pendulis habenda gratia: quorum beneficio vivus sum. quod si liberum, ac patens ad ima fuisset iugum, sic me artuatim concisum videres, ut alterum diceres Hippolytum.

THE. O' inauditam tragaediam: quid oro cum concleis* maccessae rupes?

{page 133} {p. I iii} Tussicia

forsitan Heliotropium in Apenini culmine minus amarum invenitur, quam in campis vel Intybum, vel Cresson*.

CH. Adde et Cicorium. Sed age iam rem narro. Haud semel ab incolis loci, quam Insulam dicunt (mei enim Uranii est patria) audivi, in quibusdam montis Cornei latebris latitare vatem quendam fatidicum, senem quidem incultum, seminudum, capillo incompto, impexa barba, et glauco, quo de Proteo scribitur lumine: victus, cubile, et habitus ferme, ut olim Anacharsidi Sythico [sic, for Scythico]: Et quem dicunt numine afflatum, futura saepe praedicere: nec minus praeterita, ob longioris aevi intercapedinem, caeteris incognita mortalibus perinde atque praesentia manifestare. Mirum quanta iis auditis, in me istiusmodi videndi miraculum exarserit cupiditas.

TH. Genius forsitan est loci, aut alius quispiam erraticus daemon.

CH. sit ne Genius, an Daemon: homo mihi visus est deo plenus: Et cui menti insidat numem [sic], ex favore cuius, summo ut ipse ait, tutelari similis factus est.

TH. qualis lingua?

CH. ut vis. sed, ut mihi visum est, admodum sicilissat, et cum altius furit atticissat. Dic vates aio, cur ignivomi tui illius montis, nunc silet aestus? An quaeso vorticosus ille Euripus qui ab insula Italiam disternat, natura hiavit, aut casu aliquo subsedit tellus, et irrupit fretum?

TH. nodum, ut video, in scirpo quaerebas.

CH. post haec, quanta, ò deus bone, de naturae artificio? de lunae deliquis? de

{page 134} {p. I iii v} Tussicia

sole? de orbibus coeli universis? quanta de elementis? de accessu, et recessu oceani? Et demum quanta de animorum immortalitate apperuit abdita, et vix superis ipsis nota?

TH. Mira narras, sed quae magis aristotelico quam Christiano convenient vati.

CH. Audi te obsecro. Cum haec et fere iis similia disseruisset, pauliper* [paulisper] obticuit: deinde novo quodam derepente exagitatus furore, sic orsus est. O' caecas hominum mentes, et Cimeriis ipsis obscuriores, heu quam saepe fallimur futuri nescii, quantumque per inane deludimur. En in manibus creatorem, habemus, et contrectamus, et nihilominus creaturas extrinsecus quaerimus caeci. Adeo ne illud mulierculae cuiusdam in Philosophum quendam dictum, in mortales omnes dici posse consentaneum erit?

Ille enim cum nocte quadam, coelo intentus, stellarum motus suspicere moliretur, in foveam imprudens prolapsus est. Cui ancillula, heus inquit ò praeclare, quae in coelis sunt consyderas, et quae sunt in terris non vides? Et ut caeteros ommittam, non erat aliud ò hospes, cognitu dignius, quam aetnae incendium, aut scyllae adlatratus.

Crede mihi ò bone. Bulla est quicquid ab humano intellectu pervestigatur, nisi pia adsit mens, atque animus in Christum omnium servatorem, vel purus, vel humilis. Quod quidem an parum tibi intellexisse visum est, vas illud divinitatis, cum ait, se se nihil aliud profiteri nisi Iesum Christum, et hunc Crucifixum? quid mul-

{page 135} {p. I iiiii} Tussicia

tis te morer? Tu qui de elementis, ac ventorum causis, nuper tam diligenter percunctatus es, num vides quae quotidie, et manibus tractas, et calcas pedibus? dic oro, cuius partis Italiae es accola? Vallis siciliana aio sum inquillinus. oppidum inquit? Tussicia inquam. Quis dedit vel Valli, vel oppido nomen? Et cum me haesitantem vidisset. Eya inquit, tu cui satis coelestia vix faciunt, terrarum pene quisquillas ignoras.

THEO. Me tui miseret Chrysogone.

CH. qui?

THEO. videor te videre.

CHRI. Oh purpurisso, vel Croco tinctum. Hoc semper peculiare fuit ignorationi, erubescencia scilicet, et confusio. Sed ad fabulam. Senex igitur cum me mussantem cerneret, subridens tum vallis, tum oppidi nomen, ac nominis originem hoc modo recensuit.

TEMPORE quo extinctis Lestrigonibus, et Cyclopibus. Sicani hispani genere ex fluvio sicori duce siculo, Siciliam tenuere: fuit illius gentis rex quidam, qui ob frequentes Carthaginensium in Siciliae regnum incursiones, cum parum sibi, rebus sui fideret, Neapolitanorum Regem tunc potentissimum, affinitate sibi coniunxit. huic virgo erat, et forma, et moribus spectatissima.

Sicano vero filius. Qui cum armis aegre esset idoneus, venationibus, quibus peritissimus erat, maximopere delectabatur. Quid? ut brevibus rem absolvam, nuptui data est virgo regia, iuveni siculo. dos fuit ora illa quae* inter Truen-

{page 136} {p. I iiiii v} Tussicia

tum fluvium, et amnem Fiternum protenditur. Hi sunt Vestini. Marrucini. Marsi. Frentani. Peligni. quam oram uno nomine Aprutium vocant. Quod cum nemoribus, ac saltibus

celeberrimum esset, Siculo ob venationes studium, et gratissimum erat. Itaque in iis frequens. assiduus, et quasi alter Timon, tum canibus, tum arcu comitatus demorari. THE. Silvestrem profecto Faunum mihi narras, haud regem. Sed quo noctu, vel cursu, vel sudore defaticatus divertebat tantus Rex?

CHRI. Cubile, inquit senex, tellus erat. amictus Scythicus, Calciamentum solorum callum. Pulmentum fames. Lacte, Caseo, et Carnibus vescebatur. Is quidem cum talis esset, patriae tamen amantissimae perenni deflagrabat desyderio. Eo igitur aliquantisper* agrestis animus demollitus affectu, et ad hoc invitantibus amicis, qui iuveni comites, a patre dati fuerant, decrevit tandem vitam sibi mitiorem comparare. Et hinc brevi ex ferarum lustris, ac humilibus pastorum casis, parva quaedam oppida caeptum est aedificare.

Ex quibus sane omnibus, unum hoc quod ab Apenini radice in planiciem, humili ut vides clivo, porrigitur carius habuit. sed cum de oppidi nomine inter familiares disceptaretur, agite inquit. Vallis a Sicanis meis progenitoribus a Sicori profectis, Sicana dicatur. Tu Sicilia ò Oppidum mihi eris. Ex qua appellatione, orta est vulgi barbaries, ut ex Sicana, Siciliana, et ex duabus dictionibus, tu sicilia, Tussicia sit dicta. At iam occubuit sol. Tibi

{page 137} {p. I v} Tussicia

O fili, ad Tussiciliam erit iter, mihi vero sub montis iugo pernoctandum. Abiit vates. Tunc sonoras inter abietes perfracta, nescio quae, vox est audita. O furor, ò terror. ò vatium insania. Siccine aruspices? Sortilegi? Phytonici? ò mentitum didimaei Apollinis numem [sic]. O Phaebes.* ò Indigestum Calos.

TH. Dicit non potest Chrysogone quantus sit huiusmodi vatium et furor, et impetus.

CHRI. haec enim terrificae prae se ferente nemore, parum abfuit quin tonitrua, atque horrenda immixta grandine fulmina, et terraemotus, subsequuti sint.

THE. Si numem [sic] huiusmodi pacificum est, ac coelitus exortum? sint grandines. sint nimbi. sint aeris mugitus, ne hilum quidem facio. Tantum enim abest ut credam futuri aevi praeludia esse, et argumenta.

CHRI. Elias forsitan est.

THE. dic sodes? quid si antichristus? aiunt enim, et sic est, mortalium iam scelera ad flagitiorum culmem [sic] ascendisse. iam inquam coelum ipsum. tellus. fruges, in ingratum hominem clamant, coram deo. Instant iam signa illa, atque omina a vatibus praedicta, stolidissimo vel asino notissima. pollutus est aer. polluta terra. polluti sentes.* Clamant denique creata omnia ut scriptum est apud Iudaeos. omnes vitae nostrae pessimae. Cedo Chrysogone quae iam vitae conditio est, cui plane antiquorum patrum synceritas arrideat? Ubi in regibus fides? Ubi in principibus foedus? Ubi inter Cives pax? Est ne pietas illa quam in tot

{page 138} {p. I v v} Tussicia end

sectis divisam esse videmus? ò rem indignam. Fiat iam oro, ó summe in terris, fiat unus grex, unus custos, una lex. Redeat iam terris regnum, non Saturnium: sed de quo dicitur. Adveniat regnum tuum. Sed iam nox subrepsit. Vin te tollam humeris?

CHRI. Apagesis. licet enim crus ex lapsu sit Paulo inconstans factum, exossatum tamen non est, at si mavis cum luna emergere coeperit, parthenium cum fibris extirpes velim. Hanc enim aiunt herbam lapsibus affatim utilem esse.

THEOPHI. Illam quam dicunt Pericli in somnis a Minerva monstratam?

CHRI. Illam inquam in splanchonoptis lapsu.
THEO. faxit deus ut absque Malagmatis, et pastillis conualescas.

VISUM SUPERUM (page 138; p. I v v)

Ad pudicissimam Lucretia Scalionam.
VISUM SUPERUM.

CHRYSOGONUS CUM MATRE.

Quid Cerno? Sunt ne, an hebet visus? totus cohorresco. homo, Spectrum, homo est. En alter. Lemures credo sunt, aut Lamiae, quae huiusmodi terriculamentis facile, ut dementemus, nostros ludificantur oculos. Non iam Lemures: non Lamiae: non Spectra non Larvae: sed dii sunt, O' qualem lucem? O' odorem suavem. proximus accedam. O' amabiles umbrae, vos per sedes vestras aureas, per niveas stolas, per ardentis oculos, oro, obtestorque ruti-

{page 139} {p. I vi} VISUM SUPERUM

lantes parumper vestros cohibete radios. Lippus enim tam fulgidas non fert faces. ó sacer animorum coetus. O' felices animae. quod consilium? quod omen vos e coelo ad has nostras tetras avocavit regiones? Ad me ne? non hic virtus. non bonum. non pax. non quies, ó quieti spiritus. heu quid video? Exoculer miser, ne amplius inertem terram: ne saevum mare. ne sydera ipsa. ne me tandem omnium foedissimum intuear. Ad me ne, an ad alium pacatiorem animum?

MA. ò senex, qui ludricas humanarum rerum ineptias pertesus, huiusmodi pendulos pervagaris secessus, ad te.

CHR. Hem mater est.

MAT. huc te admove. quid attonitus Labas?

CHRI. Perii mater. ó noctem quid aio Noctem? ò diem faustissimum. ó Concubium meridiana ipsa claritate clarius, splendidiusque. Video ne te mater, an falso deludor simulachro?

MAT. fili.

CH. heus mater. iam tutus sum, postquam pellucida sustentor manu.

MAT. Ades animo, et antiqua tua utere mente. Unde Chrysogone istuc tuum nomen?

CH. Abste mater.

M. a me? Neque a me: neque a felicissimo genitore: neque a fonte ipso.

CH. cum tractabilem ò mater. nobiscum spirabas auram, primum illud, quo me a cunis vocare libuit, non gravate tuli: simulac vero deposita mortalitate iam coelestis es facta, et nomen, et habitum etiam ipse deposui, a beata scilicet atque aurea matre, ut aureum appellent natum.

MAT. Scio ó Chrysogone tum nominis, tum

{page 140} {p. I vi} VISUM

instituti intercepti rationem et consilium.

CH. non te latet ó mater, nam beata es, quae voluntas, quae mens, quae animi deliberatio, ab ubere fecundae matris (tu prima es) me abstraxit. In Stygias detrudar undas, si aliud in mente habui quam* adipiscendae pacis animum, tranquillitatemque a turbis, amorem item ocii, ac deum tandem, licet ab illis nunc male audiam, quorum interest, ut ipsi dicunt, de orbe ipso iudicium facere.

quis tantos ferat ausus? quid agam? quid respondeam? Taceam ne? obmutuit profecto innocentissimus agnus ille coram tondente se. Irrauceam penitus, si verbum unum pro me amplius addo.

MAT. Scio filiorum molestias. Scio cruces. Scio et quae vos manent praecia. Quid autem de vobis cogitent alii, ipsi videant. Vos altius corda surrigite, et domesticas, sive praeteritas, sive futuras forti pectore superate iniurias. Is enim vitae labor, via est in coelum. At tu postquam nomen auri visum est arrisisse, fac sis aureus. Caeterum quae dicam memoriae trade. Vides in rebus humanis irrequietum motum? vides coelestes globos, quos vos decem esse dicitis, quomodo illorum extimus recto: caeteri retro contrario versantur motu [errata corrects motum]? Tellus etiam, quam vos affirmatis non moveri, et in ea omnia feri* suo motu pondera, suos etiam ipsa habet motus, licet praeter naturam, et per intervalla. Testis fuit olim in hac campania Missenus, nuper tota Lusitania. de Oceano autem quid iam instabilius cerni potest? homo

{page 141} {p. I vii} VISUM SUPERUM

tamen solus et hunc, et illum in motu praevertitur: nam omnia creata quae motui sunt obnoxia, et quae huiusmodi giris, et orbibus agitantur, a naturae lege edocta, pari, et pro rata portione, distincto, atque ordinato moventur actu. At homo vel in suis etiam a natura tributis motibus, exlex est, et ordinis impatiens.

Tu a pessum vergentibus fac caveas, et maxime violenti si qui sunt motus, ut in tellure fit, qui a vobis terraemotus appellantur: qui si magni sunt, hiare Campi campos [errata corrects campos*]. montes discedere. motare turre. ac terrifico quodam impulsu, urbes convelli, et rupes vicissim collidi, visae sunt, et propediem videbuntur.

Magnus enim in foribus iam adest annus: non is qui ex numerosis solstitialibus dependeat: sed qui ex orbiculatis formis, cum citimo terris hemyciclo [sic, no period.] Hoc cara lux aget, inseparabilis coitio. Et tunc pax summa, et a motu requies. Tu enitere dignus ut tali censearis saeculo. Sic, ut ego qui te genui, iustitiam cole, et pietatem: quae cum maxima esse debeat in deum, est et aliqua in eorum memoriam qui iam vixere, ac corpora laxati illum incolunt locum, in cuius sinu graves, nec sine spe salutis, culparum, in igne pendant poenas.

Non nihil enim animae solutae ab oneribus corporis, vivorum pietate, ac carissimorum votis iuvantur, et si non plane semper, aliquo modo tamen a cruciatibus levantur, ut hi qui mecum sunt, qui iam liberi a tortoribus atque a flammis expediti, aevo fruuntur sempiterno.

CH. Genitor ó mater?

MAT. Post mortem meam

{page 142} {p. I vii v} VISUM

eodem mense rectis e grabato in coelum sublatus est lineis: ubi mecum cum filiis illo, quod in terris expetivimus, bono beatissime fruimur

CH. Ultimus forsitan minus laete.

MA. Cumulatius.

CHRI. Qui sic? neminem unquam audivi atrocius a delatoribus accusatum, atque capitalius damnatum.

MAT. Argumentum sane infirmum, vel quod unico verbo disipari potest.

CHRI. Quo quaeso?

MA. Innocentia.

CHRI. sic aiunt innocentiam aequae extenuari solitam sub adversis, uti auream sub malleo bracteam. Vellem profecto rem aequius expendissent iudices: nec tam temere improbis auscultassent delatoribus, in virum praesertim optime de religione meritum. Fuere in primis mulieres vel incestae, vel adulterae, vel publicis quoque fornicibus prostitutae. Collusores deinde publici. Aleatores, Ganeones, Heluones, Patici (cohorret animus) Drauci turpissimi, atque huius generis foedissimi alii. Iudices vero quales fuerint praestat praeterire: nec Theramenes quidem, nec Socrates, ò mater, hic a Tyrannis, ille a iudicibus extinctus, nequius occidere. pueri deinceps tum aetate, tum ratione imbecilliores, quam quos honeste, praetoria gravitas admittere videatur: Quae omnia utpote ius omne, fas, forum, publica commoda, civilemque iustitiam subvertentia, de aliquo referre, aut alicui diem dicere neutiquam asciscunt leges. Ausculta, inquit sapiens ille, quae loquatur alius vicissim de alio, dans operam, ut noris, et qui sunt qui loquun-

{page 143} {p. I viii} VISUM SUPERUM

tur, et de quibus loquantur.

MAT. Videant alii ò Chrysogone. filius enim, ut rem breviter expediam, idem ipse e suo exit corpore, qui e meo, id est Innocentissimus. Sed quid de alio illo qui adhuc vivit? Quas calamitates patitur? In quibus adversis traducit vitam?

CHR. nec minus, ut audio, iniuste.

MAT. Iniuste?

CHRI. Vellem in primis mihi dicerent, an latentibus, an manifestis, ut talem virum insectarentur assecuti sunt conjecturis. Si ex primo/ exprimo*, nego hasce boni viri esse partes, a secretis rerum causis auspicari fidem. Quid oro tam a bono viro alienum esse potest, quam rem obstrusam, et dubiam, pro certa? reconditam pro aperta proferre? Utrum hoc sit deterius aut prava rectis affirmare, aut elinguem esse omnino, videant hi, quorum adeo in dubiis certa statuere mos est, ut in certissimis quoque faedissime caecutiant, et lusciosi sint. hostes inquirunt sunt.

Quid audio? Sunt ne hostes in templo pacis? Sint etiam. Et hoc quidem boni viri nomen adimit: siquidem sine vitio nunquam cohaerere solent et boni viri, et hostis nomen. Si in peccata porro, ut dicunt, invehuntur: num dubia tandem quo fiant animo inter peccata censenda erunt? Quod ius quaeso seu humanum, seu divinum hoc a quoquam exigit? Cuius senatus assensu [assensu]? Quorum patrum auctoritate huiusmodi lex sancita? Castiganda sunt quidem peccata, sed ab illis ipsis quorum interest. perplexa autem, et media, diligentissime an-

{page 144} {p. I viii v} VISUM

tequam ad lora perveniatur, disquirenda, plectenda etiam pro meritis, sed legum, non linguarum multa. Malum profecto virus linguae cum ab omni mortalium genere funditus sustollendum, tum diligentius ab illis ipsis viris, qui propterea sese muris cingunt, quo facilius caelestem profiteantur vitam, et fiant dii.

Quonam autem casu sit actum, non facile dixerim, ut quemadmodum plerisque in actionibus recte factis, ab illis vincuntur caeteri: Ita a plerisque in hoc laudis genere quo lingua temperati simus, longe secedunt, et superantur. Atqui vos absentes intuens appello. Si aliqua in sententiis vestris pervulgandis, deprehensa fuerit ignoratio, excusabilis forsitan error: et dignus cui facile praestetur venia.

Sed in apertis delictis, ut est in obtrectatoribus, in delatoribus, in adulatoribus maxime, paululum connivere, atque ob linguarum metum de recta deiici, ac labefactari, quae digna expiatio? quae religio vos vestro pulcherrimo gradu, quo nunc statis, non indignos reddet? Sed obsignatam istam ommittamus partem, et ad illam quae apertioribus patere dicunt indiciis, revertamur. Quaero iterum an in illius viri defectione quicquam tum cerni potuit, ex quo libidinosi consilii, contaminatae mentis, apertum demonstrari quiverit argumentum? affiirmant. quod quaeso? An quia villosa, colloriaque veste indutus ad Alpes accivit Venerem? An quia de toga ad Cilicium translatus, puellas illexit? Num ideo repetundarum

{page 145} {p. K} VISUM SUPERUM [text has INFERUM]

factus est reus, quia nudum eum frigidus, et egentem voluntarium conspexit Apeninus? num quia ab ocio ad Eremi labores se transtulit cupidiam praetendit: laesaeve maiestatis culpam prae se tulit? Quis illum vidit unquam in Emporiis, multo minus in floralibus, ac Dionysiis diversantem?

Porro non ut transfuga, aut fugitivus, clam dominum, servus: libere, et palam, ex senatus decreto almae urbis: omnibus videntibus, in libera civitate, emancipante* summo Pon [Pontifice*]. a quo quidem libertate donatus, raso calvus capite, pileum adeptus est, de pluma, quod aiunt, ad malleos descendit.

Quae charitas? Quae modestia? tot iustis acclamantibus rationibus, illos solos reclamare? Unde quaeso orta est suspitio, aut potius sermo ille? Convasavit, dicunt, nescio quid. Quis dicat hoc nisi illi, aut illorum similimi? Ille enim qui per sexenium, cuncto spectante orbe, et coelo ipso teste, res illorum tam fideli opera, etiam ipsis concedentibus, et ut est ordinatissima ratiocinationum suarum series, et contrectavit, et auxit, nescio quae abrasit? Quae tandem? Evulsit a postibus horrea? Corinthios calices, aut surrentina vasa suffuratus est? Denudavit divos, ut quondam Esculapium Dionysius? Fregit ne aerarium, an obfirmavit? Abduxit ne iterum Cacus Herculeos, retroversis vestigiis, in Aventinum boves? Scilicet emisse, aedificasse, recuperasse, ab aere alieno, atque a nefandissimis versuris res sacras liberasse, scelus fuit, et capitalis noxa. O' diras amicorum iniurias. O' impudentiam praedi-

{page 146} {p. K i v} VISUM SUPERUM

cendam. Vide, mater ut istos vir graecus Aristophanes, verus tamen author, adumbrat homines, agresti illos appellans ferocia, ore temerario, infraeni, prodigo, futiles item, loquaces, ac quadam verborum congerie profusos. Quam prudens sane visus est mihi Momus, qui ob fenestram in hominis pectore non fabrefactam, indignanter tulit. quae si esset, introspiceret, credo, mundus ipse universus, an tantillus illius scelesti rei animus, tam foedus esset, tanque ut illi iactant per trivium, vel turpis, vel incestus: et cui vos rabulae* meri, maxima cum religionis iniuria, imponere non desistitis.

quippe rationibus qui imbelles estis, livore (malum) et lingua rem agitis. Siccine sanctissimi Evangelii mens? Qualia, qualia in vobis paterent monstra. Verum quid ago? nosti omnia ò

mater. Quo me quamquam* [quamque*] iustus impulit furor? Excessus fateor, ò beata, si leviter ob innocentiae defensionem, par pari obtrectatoribus reddidisse, excessus fuit. haec interposui Mater, non tam ut pro fratre dixisse videar (pessime enim secum ageretur, si parum tibi esset sine defensione purgatus) quam ut quosdam nimis acerbi animi, et ieiuni admonerem id quod semper, cum in sacrarum rerum administratione versaretur, caverit. Tu mater, ut tua est facilitas, veniam, si nimius fui, dones velim.

M. Mallem moderatius. nundum enim crucifixus es mundo, et tibi mundus. Porro haec quam cogitabundo intueris animo, Feliciania Scaliona est.

CH. E vita hac misera, scabra, putida feliciania ne Lucretiae filia?

M. Ea est.

CH. ó te bea-

{page 147} {p. K ii} VISUM SUPERUM [text has INFERUM]

tam. Sed qualis mors?

FEL. partus.

CH. Superestne?

FEL. Et me, et partionem meam uno fere simul ictu perculit amara mors.

CHR. displicet. At iam felix es feliciania.

FEL. Sum: quod cum a viscerum torminibus vix mei compos devexarer, fore addubitavi: proinde miram illam, horrendam, terrificam, purgatoriamque nacta sum legem.

CHR. Adeo etiam summo in discrimine, de Dei fide non est haesitandum. Tam cito ne ab illis foedis, tetrus, queribundis, lachrymosisve laribus te liberam video? tam cite?

FEL. citae carissimorum fuere preces.

CH. Quid interim suavissima mater Lucretia? Quid vir dulcissimus Raimundus? Moerent ne?

FEL. plus nimio. iis dicas velim, me iam felicem, beatam, aeternam, immortalemque factam: a lachrymis cessabunt credo. Discessit mater cum illo coelestium animarum caetu. Ego Pavore solutus sum. Minervae.

{page 148} {p. K ii v} VISUM INFERUM

VISUM INFERUM Ad Ludovicum fratrem.

CHRYSOGONUS. SPIRITUS.

Exi male Daemon. quid Luride? O' faciem illiberalem. Quid ringis? Exi belva cum hisce tuis deformatis spectris. heu unde tam terrifica nunquam alias audita tonitrua? Ruunt ne tegulae? flagrant ne tecta? An pavor me falsa imaginari? O vastos hiatus. O horribiles flatus. heu fulgur illud sulphureum totas detrivit aras. Siste te tandem ó anguis inuno sive tauro, sive lupo, ut nihil moror. Quid tam varias simul species? omnia transformas quid te in miracula rerum? O Monstrum immane, ingens, torvum, concitum, efferatum. Vide quomodo etiam effingit inanima? Unde mons iste tam altus tam superbus? Tam in tam parvo sacello proruptus? Unus est. en duo. En iam tres sunt. Trinus factus est mons: Mons inquam ferrarius, flammeus, cinefactus. Audi sceleste spiritus. Audi truculente daemon, non me: sed vim illam omnipotentissimam. horrisonos iam tandem cohibe cathenarum strepitus.

SP. Quid me ruinosae paries, appellas daemonem? hominis spiritus fui. In padi arena, ossa. Sed quid tecum ago periphrasi? Is eram.

CH. Miseresco.

SP. Mei? non abnuo, si ego aliorum, dum licuit, miserorum. ad pios semper affectus fui impius, lapideus aeneusque Misericorditer enim mecum tunc agitur

{page 149} {p. K iii} INFERUM

cum saevius a diris discerpor. In inferno regno, ah iudicis impietatem, ah crudelem legem, ah fatum inexorabile. nullum nomen nisi insuave, ingratum dirum, crudele.

CH. Et si ò queribunde spiritus, qui tam impudenter in aequissimam Dei iustitiam inveheris, nulla inter umbras tartareas, pietatis argumenta esse possint: nos tamen in huiusmodi immeritos manes, ut tu es, afficimur humanitate. Quid frendis dolosa imago? quid foedos, olidos, putidos, fumososque irructas halitus?

SP. fumosos, putidos, olidos, foedosque cum vixi, contexi animos.

CH. quo tectorio?

SP. quasi non noris. Quis unquam melius meam novit caliditatem quam tu? Quis fictos risus profusius risit? Quis Crocodilli lachrymas, nasutius detestatus est? Sed ad Elephantem nihil mus poterat. Vin meos huc sistam Minoios collegas?

CH. etiamnum, ut olim, ò insignem pervicaciam. figuris rem agis? Quid sancta sceleste, tetragonismo dedecoras Lithostrata.

SP. neque me in hoc ignoras.

CH. Tua scilicet mihi fuit cordi Cataptemantia, qua usus es, cum Saga illa, per nervulos, per venulas, perque minimos etiam pedum digitulos, tuas praesagibat fortunas. Sed nulla de Angina divinatio.

SP. En infaustum tetragonismi spectaculum.

CH. O infelices animas.

SP. Siccine sacra nostra fuere comitia? In tam sacrilegam pedibus est itum sententiam? Ea ne mulctra, innocuus emulgendus fuit agnus? Et tu lani lupe. Saeveritatis ne titulus, ac iustitiae nomen tanti debebat emi? Scilicet pro nobili illo luteo, atque honorato, quem affectasti, pileo: ar-

{page 150} {p. K iii v} VISUM

dentem, ac edacissimo candentem foco, habe galeam. Sed interim, Timoni integerrimo suo (quid angues quassas indignabunde?) applaudit Ticinum: atque innocentissimum suum alumnum coelo gratuletur.

CHRY. quid alter iste nictat Minos? O' naturae artificium.

SP. Nosti hunc? quanta vix nato hoc monstro fuit indicta pernis pestis? quanta labes larido? quanta callo calamitas? hic ille est qui in medio, Lanium suae domus atrio, uti octavum orbis spectaculum, erexerat.

CHR. ó summam opificis aequitatem. Quam* misere distortetur. hem ut lividam lividus adipem depascit Dipsas. Ut foedas foedus Prester exhaurit extas. ut furit in oculos Cerastes. ut in impexum debacchatur caput Emorrois. ut sordidam tabo frontem lambunt Colubri. Ut viperis horrent crines, longaque torta sibilat cauda Draco.

SP. Quo tu te pessum das gibbose? I in malos ignes strabo attonite: simulac verecondaris, impudentia. saltem deformate animo vixisses recto, ac mente integra.

CHR. Claude informis.

SP. Sine illum humanissime senex.

CHR. me humanissimum vocas inexaturabilis palpo? dic scelus, parthenopeius ille mollis, languens, subalbus, subcinereusque de sella a vobis deiectus, ad tempus, ut ipse aiebat comitiorum tempore, quas tenet sedes? quas Cathilina ille alter, et diis, et hominibus infestus? ille inquam cuius color exanguis: foedi oculi: modo citus, modo tardus incessus: et in cuius facie, vultuque prorsus vecordia inerat? Quas Raspius?

{page 151} {p. K iiiii} INFERUM

Quas Turbidus? Sed quid ago impudens? Qua si sperem verum ab ipso mendatio exculpere? SPIRI. Est locus.

CHRY. Iam locum infernis dat manibus.

SPIRI. Ater tenebrosus, Situ, nitro.

CHRY. tace bifrons, non credo, beatos enim hos esse non ambigo: periclitandi gratia percuntatus sum.

SPIRI. Vis ne dicam quo devolutus sit, spurius Cornelius, panda fronte vir? per innabilem Acherontis undam. per Radamanthis sceptrum. per virgineos cribros. per stygium canem. per Eumenidum crines fatebor vera.

CHRY. et haec per quae deieras, mentita sunt nomina, ne dicam numina. At ego, per vera coeli bona. per aureas coelitem regiones. per incomprehensibilem lucem illam aeternam, res omnes illustrantem, continentem, conservantemque a te peto, dicas, quae potissimum culpa, te ad infinitos detrusit cruciatus. Ambitio ne, an livor? an cupiditas? an simultas? an fastus? ad simulatio? an dissimulatio? laudis forsitan aucupium? an nulla in deum pietas et fides? dic miser, per pura haec, quae tu impurissime demoliri adortus es, baptisteria.

SPIRITUS. heu quid me per hasce detestabiles incantas undas? Execrabilis dies illa.

Execrabilis fons. Execrabilis sacerdos, cur me in fasciis etiam reluctantem, tam capitali abluisti labro? heu invisas aras. invisam legem, invisam crucem illam aris impressam.

invisam tabellam illam obsignatam. invisam templa. invisam mysteria.

CHRYSOGONUS. Te continue

{page 152} {p. K iiiii v} VISUM

latrinarum spuma: neque ultra, te iterum, atque iterum per salutaria Christi vulnera, iubeo, cogo, impero, nisi quae volo mutire audeas. Evome incrudele, semiustulate spiritus.

SP. Pravum iudicium de insonti.

CH. Scilicet unum tantum.

SP. In reliquis, qui innumeri fuere, forsitan aliqua inerat culpa: in illo solo, necque culpa, neque noxa, ne naevus quidem.

CH. quis ille? quis bone iudex?

SP. non nosti.

CH. Cuias?

SP. Tantumdem.

CH. Familia?

SP. ab avibus illis in Mincio amne frequentissimis: vel inter claras, ac vetustas illius civitatis, et clara, et nobilis: sed et, qua mihi admodum erat infensa, synceritate insignis. huius itaque pertesus cum virtute gloriam, adeo in modestissimum virum, omnem devomui bilem: ut brevi pro bono, et illo, qui cum facile in tenebris micare potuisses, derepente res sit interversa: ac vulgo facta sit impostura, vel ea, quae omnem punicam superasset perfidiam.

Ex quo, persecutione: infamia, exilio, expulsioneque violentissima, optimus quisque, ne dum ipse, affectus est. Tunc mihi quidem visus sum a mundo sustulisse solem, impendio meis tenebris adversantem. Neque adeo multum fuit turbae, illi praesertim, in qua summum, dolo malo, adeptus fueram imperium, mentis sensum perstrinxisse. nam eius generis homines facile in quaevis fucata adduci possunt.

CH. faedissime, si gloriae causa, imperium expetendum fuit, scelus abesse debuit, in quo gloria esse non potuit: sed potius illud tibi Euripidis arrisit, credo: ius scilicet regnandi gratia, violandum esse.

{page 153} {p. K v} INFERUM

SP. nec in aliis rebus pietatem colui. praeterea, ob illud sceleratissimum facinus, hasce miserabiles, quas ab imis Averni ignibus excitavi animas, minoias appellavi. Eo enim confessu, nos simul iudices, et immortalē iusto illi, inter caelites gloriam: et nobis maerorem perpetuum, aeternam mortem, perpetuosque peperimus angores: et Cruciatu. Heu miser ad flammās revocor. Abiit infelix. Ego autem sacellum pedore foedum, Iuniperi, ac Myrthi bacca, cum lauri folio, lachrymans perlustravi.

{page 153} {p. I v} Dialogue of Transition

CHRISOGONUS THEOPHILUS

[Chysogonus:] Atqui iam vereor o Theophile, ne nauseam tibi moveant. deformes hi mei Pomiliones.

TH. nauseam? Pomilii? haud mihi unquam videri potuit nanum id esse ingenium, quod tam facile, ut tuum, et supera et infera commovere valuit. Expectabam Pomiliones, dedisti Gigantes, et hos quidem a volumine liberos. Tu modo, ut nostra est conventio, fac feras mea. Prodibit enim Musa, rauca certe, et pannosa, et quae parum debeat a caelesti sponso laudari, atque inter Hierusalem filias annumerari. Quoties o Chrysogone decrevi nihil aliud, nisi IESUM christum, et hunc crucifixum amplecti de ipso cogitare: de ipso scribere: atque in ipsum me me totum infundere: sed dum aliis, et iis sane, quibus non parere turpe existimo, satisfieri cupio, a proposito pene recido: ac iterum cogor iam dudum

{page 154} {p. K v v}

a limine summotas revocare Musas. Rogatus igitur Paulo ursino, meo discipulo, adolescente quidem elegantissimo, ac a patriis proavis minime degenerante, ut quasdam meas nugas olim apud eum incoeptas absolverem. non potui, fateor, non morem gerere urso tam egregie de me merito. Parvi itaque, ac terminum principio consentaneum subdidi. Profana forsā tibi, ut tuus est nasus, videbuntur: sed tempori, et puero praesertim tali obsequendum fuit. huiusmodi forsā illectus studio, sanctiora facilius audiet aliquando. cognovi enim Pauli ingenium, atque institutum. Caeterum num te praeterit quam lepide

Conducant animo Seria mixta iocis?

{page 155} {p. K vi}

1. Ad Paulum Ursinum.

DUDUM cui labor istius Libelli,
Et parum nitidi, et parum expoliti,
Donetur satago, et voluto mecum:
Qui tot ungue secet notas severa,
Totque expungat acu hinc et inde mendas,
Quot possunt niveos ferire ocellos.
Num quem simplicitas, merusque sermo
Nunc Evangelii tenet, iuvatque,
Quamvis doctiloqui minus Catulli
Et lusus imitetur, et lepores,
Explodetur ut improbus Poeta?
Nullumque inveniet miser Patronum?
En mi Paule, nihil modo repugnat,
Quin meam hanc tibi Lesbiam perito
Commendem, ut foveas sinu: velisque im-
pune huic tot dare basiationes,
Quot naevos feries stilo nigellos.

{page 155} {p. K vi}

2. De seipso.

Quae prius ingenio docili mihi floruit aetas,
Magnificae poterat laudis adire iubar.
Decipitur iuvenum sed mens improvida: quae qua*
Saepe decus poscit, dedecus inde refert.
Cum mihi praeteritae subeunt insomnia vitae,
Tam pudet, ut pudeat, non puduisse satis.
Infelix tamen ipse minus fortasse viderer:
Lusissem vafros si sine dente sales.

{page 156} {p. K vi v}

3. AD matrem virginem,

VIRGO, quam rerum sibi praeter usus
Legit in matrem sator orbis, ut quam
Intulit noxam prius Eva, eandem
Sola fugares:
Si latus servas propius Tonantis,
Praenitens omni superum catervae,
Si te Amor circum, Charitesque, et omnis
Gloria ludit:
Si triumphanti cytharae, lyraeque,
Et strepunt albi Aligeri, vocantes,

Mater ó Mater patris, ó potenti
 Nupta Deorum:
Si genus nos hinc miserum, quod atrae
Debitum morti properat, vacamus
Spe tibi cuncta, erigimusque nostrae
 Vota salutis:
Si Paros tandem tibi iuncta caelo
Templa molitur, populusque supplex
Hinc odoratis meditatur aptum
 Carmen ab aris:
Oro, ne nostris veneranda coeptis
Subtrahas te te: sed opem benigni
Numinis, quo non aliud rogatur
 Certius, adfer,

{page 157} {p. K vii}

4. De Sala regione Campaniae.

SALA Nap[a]earum, Dryadumque admixta choraeis,
Ibat, earumdem tantum pulcherrima, quantum
Ipsa Cloes, atque ipsa Thyas Nereidas inter.
Illam Capripedes, illam qui Pana sequuntur
Et videre simul, simul et caluere medullis.
Nam neque visa Pado Stella est tam pulchra, neque ipsa
Tybri pater visa est tibi tam formosa Lycoris:
Parthenope licet huic, licet illi Mantua vatem,
Parthenope similem det primo, Mantua primum.
Sed quid erit tantae sacra inter pectora mentis,
Qui velut hic Stellam superat, velut ille Lycorim
Laudibus, aequato celebret certamine Salam?
En reperire datur quem adsumat phoebus, amentque
Usque adeo Aonides, ut eas, quas aurea vernas
Sala rosas, violasque, et candida lilia nectit,
Auferat, et laurum, cui lauri cura, remittat.
Huc huc verte fides aurati Scipio plectri,
Scipio Scipiadum nomen sortite, decusque.
Quid sua necquicquam tibi consuit Ischia sarta,
Ischia Nereidum matri decus Amphitrite?
Non minus ipsa tibi debet, quam myrthea vati
Mergilina suo, atque suo vel Clodia, vel quae
Sirmia Benaci ludit pulcherrima ripis.
Ischia cur frustra populat durissima quidquid
Ramorum, florumque tibi, Laurique, Hederaeque,
Et Myrthi pariunt, et fragrantissima Citrus?
Ut nedum decori, verum sint illa decori
Tam tibi quam patriae, Cyrrhaeque bibentibus undam.

Verum nec decori, nec erunt sarta illa decori
Tam tibi quam patriae, Cyrrhaeque bibentibus undam.
Sala quidem te sola manet, quae solis amica est.
Illa venit, venit en Dryadum stipante caterva,
Cui latus adglomerant charites, cui thessala virgo
Inter Hamadryadas occurrit laeta, vicissimque
Extantes complexae humeros grata oscula miscent.
Cos quibus, atque silex, et marmora dura liquescunt.
Iamque vagus per odora suae vestigia Daphnis
Phoebus adest, sed quem niveae praesentia Salae
Perstringit, caelique hebetat Sala una nitores.
At cita Peneis tumido consulta pudori,
Arripuit conversa fugam, perque avia multam
Emicat in Sylvam fugitans, iamque aspice, iamque
Fronduit, et miserum, ut crebro, delusit amantem.

Sala manet tantum, claroque arridet amanti,
Iniiciensque oculos oculis, simul ardet, et urit,
Urit adurentem extincta Peneide Phoebum,
His furtivus Amor repit, petisque* cachinnis
Implicat et Dryadas, et semicapros Sylvanos.
Ipsa Venus formosa suos intenderat arcus,
Vitisatorque suos: sed Hymen tener abfuit unus,
Abfuit unus Hymen: qui quos exciverat ignes
Alma venus, Venerisque puer, quicquidve iocorum est,
Compescat, miscens iunctis conubia taedis.
Mittuntur blandae illecebrae, Charitesque decorae,
Quae raptim accito Geniorum antistite, laetas
Apportant Choreas, plectroque sonante resultant.
Interea Salam Sol carpit, Salaque Solem:
Dumque alternantes Natura intercipit ictus,
Ipsa suas texit Zephiritis odora corollas,
Rident prata, et Sylvae, et multicolora pererrant
Rura vagi fontes, gemmantque in palmitibus botri:
Atque ita perpetuo Campania tempore vernat.

{page 159} {p. K viii}

5. In Gallam Amici uxo.

Galla, te praefers rabidam, modum ne
Ponis interdum Furias ciendi?
Accipin quantos tua concitarint
Verba tumultus?
Usque quo mecum geminas palaestram?
Meque discindis* mage quam valeret

Ferre, qui erosa cute loppus acres
Fluxit in angues?
Pergis ah sic sic in ovem bidentem
Dura grassari? superest, ut aut te
Perferam ritu crucis, aut remota
Poscar Eremo.
Nil mihi blandis precibus relictum,
Ut furens tandem rigor eliquescat:
Stas minus Tygri, minus atque marso
Flexilis Apro.

{page 159} {p. K viii}

6. Ad Petrillum poetam impudicum.

Quam sunt et lepidi, quam et elegantes
Sunt tui Endecasyllabi Petrille,
Summaque arte laboriosiores,
Doctos qui referas in his Catullos:
Tam sunt illecebrae tui exoleti
Scortilli putridae, iocique turpes:
Ut non putridius cadaver, ut non
Sit, cur turpe oleat magis cloaca.
Qua re odoriferas rosas Petrille
Si quando olfacimus tui leporis,
Optantes ibi mille habere nasos:
En hui quam cito nostra, nescio quo
Ventris profluvio, cadit voluptas,
Ac intercipiunt rosas oleta,
Optamusque ibi nullum habere nasum.
Si nescis, tua bella mi Petrille
Vernum Cynthia concacat Rosetum.

{page 160} {p. K viii v}

7. IOCUS De scabie omnium morborum pessima.

PElion, et vastum iaculatus Iuppiter Ossam,
Iusserat aeterno monte Typhoea premi.
Utque suo prudens iam illo ex tempore regno
Prospiceret, miserum nos iubet esse genus.
Quippe Superba iterum mens nostra invaderet astra,
Ni iuga sub duro verberare dura ferat.
Pandoram genuit: quae formosissima Divum,
Multiplici evasit dote puella simul,
Et simul adlabens nigri Cocytidos urbem,
Omnigenam nobis attulit inde febrim.

Tantaleo de fonte sitim diffudit, ut hydrops
Aestuet ad liquidas, quo mage potat, aquas.
Sisyphiis alii torquentur viscera Saxi,
Atque alii titia discruciantur Ave.
At nulla elanguent graviori corpora morbo:
Quam quae per scabiem rumpimus ungue trucem.
Ipsa quidem spuma est, quam eructat Cerberus, aut quam
Lurida surrecto crine Megea vomit.
Non mihi quis iactet pestem: quae gallica dicta est:
Quaeve aegros tentat glande tumente pedes.
Quisquis pruritu informi, scabieque laborat,
Omne quidem se se credat inisse malum.

{page 161} {p. L}

8. Methaphora de iis, quos ad magistratum se contulisse poenitet.

Subdolos arridet saepe imprudentibus aequor,
Mentiturque leves zephiros Aquilone parato.
Hinc animi arrecti trepidant: quos plura videndi
Cura subit, seu forte Deas in gurgite nantes,
Sive Tridentiferi verrentes Caerula currus.
Verum ubi subducto ventum est qua litore circum
Misceri aspiciunt coelum aequore, et aequora coelo:
Protinus avulso singultant viscere proni
Hinc atque hinc homines, nigraque urgente vomuntur
Bile dapes, foedatque acidus Nereidas humor.
Unde indignantes Venti tam audacter amicas
Conspurare, suas genus hoc mortale, caducum,
Atque procax: ne non evadat crimen inultum:
Concurrunt, sonituque ingenti obnixa iacenti
Tergora subiiciunt pelago, totumque revellunt.
Sedibus aula Deum natat imis, deque quadrigis
Attonitae saliunt Nymphae: perque atria curvi
Delphines, Phocaeque* ruunt, et grandia Caete.
Heu miseri quos nulla movet iactura priorum.
Tunc ea tempestas, ea tunc asperrima rerum
Debuerat facies animo spectarier ante-
quam Nauta insultans fortunae solveret audax.
Nunc frustra insani vellent contingere portum.

{page 161} {p. L}

9. De ira, ad Paulum Ursinum.

NOCTE si quando media repente,

Dum tibi obrepens sopor ambit artus,
Paule, consurgitque Aquilo, trucemque
Fertur in Eurum.

Tu vago excussus tonitru tueris
Ecce rimosae radios fenestrae,
Quos agit crebrum Iovis incitantis
Aethera fulgur.

Interim praeceps nebulas Orion
Torquet abruptas, ut ab axe credas
Mole subductum bibula per auras
Nerea duci.

At simul fessi posuere venti,
Solque propulsat tenebras sub ortum,
Surgis, explorans quid atrox ruinae
Gesserit imber.

Cernis heu moerens, ut agros olyvis,
Ut nemus passim trabibus revulsis
Straverit, littusque putri gravarit
Africus alga.

Flent lacessito tibi cuncta vultu,
Hic Ceres, Floraeque nitor, Paterque
Vitium sensere Iovem ruentem
Grandinis iras.

Quae semel vento ruit acta Pinus,
Haud reviviscit, nec Acer, nec Ilex.
Nescit heu certa, semel hinc quod exit,
Lege reverti.

Non minus si quando furor virum, quem
Ius potens irae decet, incitarit,
Ah quibus sese veneranda larvis
Turpat imago.

Frons trahit vultus, oculosque torvis
Asperat Flammis, tremebunda livent
Labra, dens frendit, micat impedito.*
Lingua palato.

Iurgii tandem via vi patescit,
Fulgur et linguae crepitat solutae,
Mens cadit vesana, caduntque lapso
Pectore sensus.

Victa quin morum gravitas fugatur,
Virque, qui consors modo erat Deorum,
Mugit ut bos, ut leo rugit, utque
Sibilat anguis.

Mox ubi lapsae Eumenides quierunt,
Mensque redduxit sibi se, procellam
Cernit ingentem miser, et peremptos
Fulmine mores.

Verba succurrunt, reditura demum,
Si redit noster, repetitque fontem
Mintius, vel Signa queunt Olympi
 Vertere cursum.
Ingemit secum, nec humi iacentes
Sublevat demens oculos, nec inde
(Tam pudet fusae gravitatis) uti
 Audet amico.
Ira, si obluctans animum triumphat,
Tu tibi servis: at inermis abs te
Tunc fugit, cum te premis, estque summa haec
 Palma laborum.

{page 163} {p. L ii}

10. Commendat hortulum Quirino.

CUI nam tot comitum, sodaliumque,
Mandabo fidei, aequae curae,
Hortum delicias meas, Quirine?
Nam (quod scire quidem te oportet unum,
Quem plurifacio, probans fidelem)
Hinc praeceps abeo, nec ante voto
Quam deus bene vertat, huc revertor.
Cui vestrum hortulus iste erit colendus?
Incertum est: tibi ne insuber Cyrille?
An tibi Ugo? tibi ne Paule? sed nec
Ambos huic habiles, idoneosque,
Vos curae inspicio, quidem librorum
Macri, pallidulique deterentes
Tot volumina, nec pili aestimatis
Plantarum studium. At tuae Quirine
Magis crediderim sagacitati.
Nam quis te serit, amputatque, sarritque
Aut hortos melior colit? qui es actor
Tam boni agricolae (ut datur videri)
Quam optimus Maro scriptor et magister.
Quid non dant validi tui ligones?
Quibus continuo vacas labori:
Quibus nos sapidis, salubribusque
Sustentas epulis? tibi virentum
Ubertas olerum redundat hortis:
Et molles sua protulere Betae
Late brachia, brassycaeque, opesque
Horti, et nobilium quies ciborum
Lactucae, atque Inulae, Intubumque amarum.
Cui non Cicorium, Cucumis, Pepoque,

Non ventrosa deest Cucurbita, et quod
Sopores gelidum Papaver infert:
Non Cepae, Raphanum, Ascaloniumque,
Non porrum, Allium, et illa, quae per hortos
Nostrae Salvia nascitur saluti.

{page 164} {p. L ii v}

11. In Nativitate Servatoris.

QUI coelorum agit rotas, et aureum
Sub se Orbem stabili volutat axe:
Qui vim nubibus, et vapori, et Euris
Ingentem incutit, ut Fretum tumescat
Alte, fulmineoque terreat nos
Mortales tonitru rescissus aether:
Qui solis ditone sub potenti
Late disposuit, quod esse rerum
Tot causae nequeant, opesque Mundi,
Ni Phoebus caleat, Sororque Phoebi
Frigeat, speculique levis instar
Fraternos sibi contrahat nitores:
Nec nox aurea tot recludet ignes,
Nec latum Mare tot levabit undas,
Nec Terra omniparens tot aedet herbas,
Ni Soli radios det Orbis author,
Mox Solis radiis et undae, et ignes,
Ac herbae immadeant, et incalescant.
Qui tandem quatiens operta Terrae
Fundamenta, Dei manum fatetur:
En, quis credat? inops, et arctus Infans
In praesepe iacet, premitque durae
Stramentum stipulae, Bovemque, Asellumque
Inter stratus, homo pusillus alget,
Et nudus patitur suos Decembres.
At castissima Mater, et puella
Integerrima, candido revolvit
In sudariolo tenellum lesum.
Vagit interim Amor Benignitasque
Tam parvi Pueri, brevisque Pupi.
Vagin Pupe meus? nec anxiosis
Parcis lachrymulis, dum anhela Mater
Stringit fasciolas, et osculatur?
Ne fle magne Puer: quod en mamillam
Admovit Genitrix tuis labellis.
Dum coeleste bibis lac ò pie infans,
Cessent ha tepidi madere ocelli,

Cessent languidulae genae rigari:

{page 166} {p. L iii v}

12. In Gallam amici uxorem.

GALLA perniciēs boni, velint Dii
Tam bono bona sis tuo marito,
Quam mihi rigidissima es Ferarum:
Nam quod tu Eumenidum acta diritate,
Xantippen imiteris in maritum,
Ah me poenitet, ah minus ferendum est.
Verum quod iacias Erinnis ipsa
In me angues odii, malique virus,
Parvi tam facio, nihilve pendo,
Quam pendenda nihil palustris alga.

{page 166} {p. L iii v}

13. De duarum Avium fortuna.

Parvula dum saxo ludens Avis haeret acuto,
Ecce madens volucrum caede Corillus adest.
Protinus adducto, cui cretea ponitur arcu
Spherula, se mira praeparat arte neci.
Iamque ictum ferientis erat sensura Volucris,
Quum pro illa subiit fata repente soror.
Illa fugit, manet haec, sonat arcus, concita stridet
Spherula, et indignum rumpit in aure caput.

{page 166} {p. L iii v}

14. Tumulus Pom. Columnae.

[ACROSTICS: POMPEIO DICATUM COLUMNAE]

Prò quantum excidiique de Dit, stragisque columna haeC
Omnis ut impulsu domus Inclyta nutet ab unO
Magne tuo mota est tam Casu haec machina, quod niL
Peiore ad se se vale At mors ferre tumultU
Extinctus ne iaces? an Tantarum agmina reruM
Intercepta iacent simul*? Unde hoc missile fulmeN
Obtrivit saxum for Mosae grande columnAE?

{page 167} {p. Liiii}

15. Item

[ACROSTICS: POMPEIO DICATUM COLUMNAE]

Pondere fulta suo stent Dura haec marmora, doneC
Omnivagis cursum radi Is obliquat Apollo
Magnanimus, liber, sa Croque ex ordine praesuL
Pompeius, tuto hic legit Acta ingentia portU
Egregium referens vir Tute, ut nomine, MagnuM
Ipsa licet superet iam Virtus denique nomen
Obtineatque polo sum Mae fastigia palmAE.

{page 167} {p. Liiii}

16. Ad amicum, de Galla eius uxore

INvidet nostram quis atrox quietem
Hostis? infernae Lemur an tenebrae?
Aut meas vires probat experiri
 Coelica virtus?
Ecce quae serpsit mihi nuper Hydra,
Hydra Lerneae feritas paludis,
Heu quod ingenti iaculatur in me
 Gutture virus.
Foeminam linguae triplicis potentem,
Vix thyestaea dape temperantem
Audin? et quo nos studet inter astu
 Rumpere pacem?
Tu fide constes, moneo, caputque
Et leve, et mordax, et inane vilis
Foeminae sopi, facias ve quanti
 Penditur alga.

{page 168} {p. L iiii v}

17. In Felem, quem ligone contrivit.

RESULTENT io io Coci, resultent
Iam dudum queruli simul lebetes:
Nuper nescio quid mali gemebant.
Quin ipsae insiliant nigrae nigellis
Ollae cum patinis: et huc, et illuc
Permixti urceolis Catini, et Urnae,
Et quantum est olidissimae Popinae,
Io ter geminent, chorosque ducant:
Curis nanque animi levantur aegris,
Hostem nanque alacres suum triumphant.
Hostis insidiator ille Felis,

Versi pellis, atrox, trifurcifer fur,
Et cuivis Cacodaemoni parandus,
Tam cautissimus omnium Latronum,
Quam notissimus omnium malorum,
Lurco, carnivora, et lucernilingus,
Praedatorque inhians iugi rapinae,
Ictu nunc valido atque ponderoso
Ligonis periit, deditque poenas,
Tot commissa luens, quot ille sparsim
Per corpus rubeos pilos habebat.
Ah pili scelerum indices suorum.
I nunc, palladios bibas liquores
Nulla religione: qui nec ipsi
Parcis stuppae, olidas vorans lucernas.
At vobis Lemures tenebricosi,
Et nigri Genii iubetur Orci:
Raptate hanc olei bibacitatem:
Torquete hanc adipis gulositatem:
Torrete ad patinas stigis flagranti
Bullantes oleo, et putri sagina.
Has poenas merito luat gulonis
Felis ingluvies, voracitasque.

{page 169} {p. L v}

18. Ad Socium de Limacibus.

Blande Soci, an fueris nobis venator, an auceps,
An piscator (ut his acer es) ambigimus.
Nam neque quadrupedis, nec avis, nec piscis imago est
Huic praedae, nostris quae cecidit patinis.
Mirum quam genus id Coclearum longa remittat
Cornua, quamque ingens pondus agat scapulis.
Tardigradae sunt hae Limaces, sueta propago
Secum ferre humeris omnia quae sua sunt.

{page 169} {p. L v}

19. Ad Intronatos

Scilicet a triviis tanta est audacia nostris,
Ut rudis, utque humili nostra haec succincta cothurno
Musa, et degenerem vatem testata, canoras
Senarum inspiciat Veneres, atque ocia Phoebi.
Illic Arsicii comites cura unica nostri
Hetruscam instaurant linguam, quicquidve leporum est.
Felices Genii, felicia pectora, tanti

Vos faciant Charites, et Nymphae nobilis Arni,
Quanti magniloquum vatem, quem Mintius Ande
Sustulit e modica summae ad fastigia Romae.
O mihi contingat (faveat modo Tuscia caeptis)
Inter apollineos numerarier Intronatos.
An quicquam maiore queat me laude referre:
Vel si Dardanidas celebrem non impar Homero:
Vel si verrinos mores grandi ore laccessam?
Ah redeas delira, ingens lux illa pusillum
Perstringit lumen, cui sol caligat ab axe.

{page 170} {p. L v v}

20. In Gallam furentem

AT quis, ó Divum pater, at quis, inquam,
Inter Heroas fuerit potentes,
Qui satis firma petat huius iram
 Fronte Colubrae?
Ut ferox, ut turpis, ut expedita
Impetus in me ciet: ut bilingue
Os tumet vibrans, ut anhela me iam,
 iamque retentat.
Per tuum te connubium, per ipsos
Liberos Sampson meo receptos
(Ni qua dirarum thalamos cerastas
 Pexit in illo)
Oro, quid ferro similis petitae
Bellvae saevis? agedum Luparum
Pessima, en me me tibi dedo: vince:
 Pascere carnes.

{page 170} {p. L iiiii v v}

21. De quattuor Temporibus Anni. Experientia. I

VER novum domitis adest pruinis,
Cui Mars nunc aperit, tenerque Aprilis,
Occurrunt Veneres, vagique Amores,
Dum tectum vetuli subintrat Anni.
 Sol fraeno ignivomos equos retentat,
Lentis solstitium notans Quadrigis,
Aestas nuda sitit, gravesque spicas
Dum torret, cupidos parat Colonos.
 Autumnus moderante sole flammam
Prodit tardigradus, satis quod ille

Succulentus hebet, suaeque Vites
Illi palmitibus gemunt onustis.
 Apportat gelidos Hyems Novembres,
Canas hirta comas, trahit podagras,
Tussit, pelliceis pedes ad imos
Se volvit tunicis, fovetque prunas.

{page 171} {p. L vi}

22. Experientia. II

Ver nitens, ubi Nix modo imperabat,
Sumit regna, suasque ponit herbas.
His arridet Amor, parensque Amoris,
His blanda Zephirus iocatur aura.
 Aestas delitiis laboriosa
Praefert seria, decutitque flores:
His fruges subicit Ceres opimas,
His flavae subeunt Deae manipuli.
 Autumnus vacuos cados vetusti
Ad novum reparat Thyoniani,
His plaudit Bromius, Bromique Pupi
His circumsiliunt, chorosque ducunt.
 Horret Bruma gelu, casaeque rimas
Stipat sedula pervias rigori.
His mugit Boreas, suasque victor
His vibrat scythico nives ab Arcto.

{page 171} {p. L vi}

23. Experientia. III

Iam novos, variosque picta flores
Passim reddit humus, decusque veris.
Lascivit Cytheraea, consuitque
Ludenti violas, rosasque Amori.
 Dat messes ager hispidus salubres,
Nec tunc utilis impeditur ardor.
Textit flava Ceres graves aristas,
Cingens tempora spiceis corollis.
 Pingues pampineos gravant lacertos
Uvae: pampinei gravant lacerti
Ulmos: Ulmi asinum gravant flagellis,
Dum Silene agis hunc gravem racemis.
 Nix alpes Aquilone sibilante
Summas candidat, implicantur Amnes,
Hic Nymphae vitreo stupent ab alveo,

Et comunt glacie comas sub ipsa.

{page 172} {p. L vi v}

24. Experientia. IIII

Fragrant multicolora prata gemmis,
Quas leni populant Apes susurro.
Laetae qua nemorum trabes comantum
Frondescunt, Avibus sonant canoris.

Flagrant pulverulenta rura flammis,
Quas brevi extenuant Oves sub umbra.
Lentae qua Coryli, nigraeque olivae
Pallescunt, querulis strident cicadis.

Turgent mellificata musta botris,
Quos Bacchae patulis ferunt canistris.
Et qua vitibus explicantur umbrae:
Io, Bacche canunt, io, Lyee.

Torpent obstupefacta stagna crustis,
Quas nec plaustra notant, rotaeque signant.
Et qua Cymba modo premebat undas,
Colludunt pueri, labantque plantis.

{page 172} {p. L vi v}

25. Experientia. V

Florescunt sata, vineaeque gemmant,
Purae per teretes cient lapillos
Raucum murmur aquae, udulique rivi
Albent Liliolis, rubent rosetis.

Durescunt segetes agris, caduntque
Iam curvis sata falcibus, nec aestu
Messores avidum gemunt laborem,
Sed crebris cyathis levant calorem.

Dulcescunt, nimioque Botriones
Sunt Ulmis oneri tumente succo.
Fit vindemia, Vinitorque laetus
Suo destituit decore vites.

Canescunt nive tecta, stiriaequae
His pendent vitreae, stupentque guttae.
Pastor straminibus, simulque arator
Defendunt, hic Oves, at ille Tauros.

{page 173} {p. L vii}

26. Experientia. VI

Vector sydoniae calet puellae:
Sagittas acuit tener Cupido:
Torquati geminantur hinc Palumbes,
Auriti Lepores, Boaeque turpes.
Sydus herculei flagrat Leonis:
Frondes nec tenui moventur aura:
Dumos nec gelidi exeunt lacerti:
Portu Nauta latet, Viator umbra.
Pugnaci haeret Apollo Scorpioni:
Spumant labra mero, lacusque praelo
Vi pressante capit novum phalernum:
Complenturque Cadi, Amphoraeque grandes.
Horret sydere Bruma Capricorni:
Auget ligna focus, veruque torret
Longo terga Suum, superque crates
Tuceta, et croceae strident Tomaclae.

{page 174} {p. L vii v}

27. Tumulus Dorothaeae tianaeae

Dum sol plus nimio flagrat, Dorothaea Dianae
Quondam sacra, viro sed modo iuncta, lavat.
Dumque lavat, castoque Deae natat inscia fonte,
Marmor facta iacet marmore hoc in niveo.

{page 174} {p. L vii v}

28. In senem Hypocritam.

SENTIES (ni iam resipis) furentum
Vindices Divum simulator iras.
Vis pius, qui sis pietatis expers,
Quippe videri.
Interim peccas miser, inque curas
Deteris lucem pueros decentes:
Nulla nec fati quibus est, nec Orci
Tristis imago.
Tu merum ludens bibis impudenter,
Tu Lupus molli latitans sub Agno
Spongiam Christi canis hic, et illic:
Suggere temnis.
Novit heu vindex scelerum nequaquam
Fallier, nostrasque super medullas
Excubat, doctus sua cuique morum
Praemia ferre.

An fugit te te quot habes dierum?
Quot caput spargit cinerum? cavantque
Quot cutem sulci? quot ab ore lapsi
 Forcipe denres* [dentes]?
Si tibi fervor periit iuventae,
Si liquor vivax, agilisque nervos
Defficit, si grata petis facessit
 Forma puellis:
Si madens, lippusque oculus gravescit:
Si laboras pituita, refertque
Gibba delphinem: quid adhuc ineptis
 Stulte? quid audes?
It dies pernix, nec it una, siccam
Sed simul spicam, simul et pruinam
Corripit miscens: alio quid aequum
 Tempore difers?
Ah redi delire, redi: Caleno
Sat tibi indultum: lachrymis madendum:
Fle, licet tarde, quia nec senum aetas,
 Nec Later humet.

{page 175} {p. L viii}

29. In Apianum poetam,

CASTIGAS Apiane, nescio quo
Me dicto sat acerbior, quam, quod
Te, tuique pares, putem decere.
Cum sis doctiloqui socer/ gener* Maronis:
Qui nuptum tibi dat suam poesim.
At cum expers, et inops, et imperitus
Sis Evangelii, phrasimque pressam
Contemptor fugias: mones iniquo
Me inculcare modo sacris Camoenis
Nomen barbarum, et insolens Iesu.
Quare, si sapio, mihi cavere
Posthac debeam, et expolire Musas.
Nam se, quisquis amat vocabulorum
Id miscere genus lepore, praefert
Non nisi aridulum, et malum Poetam.
Sic culpas Apiane: nosque magno
Das prorsus vitio, atque ineruditos
Hac de barbarie vocas Poetas.
O factum male, fila me ne eburni
Plectri consona polluisse Phaebo?
Incusas Apiane saepe nostro
Me poemate nominare IESUM?

Incusas merito: quod illud altum,
Ac divinitus ante secla magnae
Impostum Sophyae, typum salutis
Secum nomen habens, scelus videtur,
Et sensu, et calamo, oreque impudico
Me versare nimis licentiose.
Nam quis frugi hominum, sequax ve Iesu,
Qui dignum sine suavitate Iesu
Se ducat bene nominare Iesum?
At tibi o Apiane dissipator
Castae simplicitatis, istud atrum
Tuum sacrilegum caput teretur
Ictu fulmineo: qui adulter omnis
Bonae iustitiae, hoc salubre nomen,
Sanctumque, egregiumque, mysticumque,
Vocas barbarum, et insolens, minusque
Musarum auribus arte commodatum.
At tu barbare barbarissimum te
Praefers, et rigidas bibisse Tygres:
Qui sis tam petulans, procaxque laeno
Vestrae grammatices, ut alium Iesu
Nomen despicias, quod ipse Apollo,
Et Musae, et Charites, et elegantum
Quantum est Laurigeris scholis leporum
Formidant, venerantur, atque adorant.
Quare summoneo ne ineptiarum
Tot demens cumules, et admoneri
Consulto patere, admones qui acerbe
Sic nos tam resonum referre nomen.

{page 177} {p. M}

30. In Annuntiatione Virg. Matris.

Stabat dicta sacris Puella templo,
Coeli delitium, fidesque rerum,
Felicisque iubar perennitatis,
Infernaeque tremor profunditatis.
Virgo virginei decor decoris,
Matrum nobilitas, Patrumque cura,
Et laeta anxietas: quibus canori
Vates detulerant tot ante seclis
Venturam ingenui gradus Puellam.
Quae prorsus thalami virilis expers,
Ignitoque dei gravis nitore,
Integerrima, perditae salutis
Authorem pareret, simulque Matris,

Virginis simul assecuta nomen.

{page 177} {p. M}

31. Ad Alovisium Grifalconem.

Quid refert quod onusta auro, gemmisque lucerna
Sit mihi, et hanc Cyclops sicano cuderit antro:
Vel quod orontaei Bombycis stamine, vel quod
Ipsa venafrano Pallas ornarit olivo,
Pendula si cessat? Si nulli admota coruscat?
Te non dissimilem video, qui culmen adeptus
Virtutum (cum homines se praeter caetera norint
Causa hominum genitos) contemnis promere signa,
Sub quibus arma novus duce tractet Apolline miles
Siccine mortales divum nos munere fraudas?

{page 177} {p. M}

32. Ad seipsum.

Iam diu assuesti (domat usus artes,
Et iugum tauros, et equos lupatum)
Perpeti longas Philotheu maligni
 Temporis iras.
Seu Canis, seu regnet Hyas, det illa
Igneos aestus, gelidos det ista,
Tu nihil flammae, nihil et flabelli
 Commoda pendis.
Iurgium linguae tamen insolentis
(Prò viro forti nisi non pudendum)
Et minas, turpemque sonum ferendo
 Vincere nescis.

{page 178} {p. M i v}

33. Ad Federicum Gonzagam Mantuae Ducem.

Palpanti styga Dux ò praestantissime coelum
 Tun mi ades? an nocti sufficis astra meae?
Sed prò quanto ardes nunc Phoebo, quod nisi ab illo
 Stem procul, ecce in noctem, et styga, rursus agor.
Qua re age iam quae sit tua lux patiari videri,
 Si procul, expande, si prope, coge iubar.
Nam mihi non acies illa est, quae proxima possit
 Divinum Solis lumen adire tui.

{page 178} {p. M i v}

34. Tumulus Candidi Castelionaei.

[ACROSTICS: HIC IACET CANDIDUS CASTELIO.]

Heus tu quisquis ades, sis Clemens ossibus his, neC
Inspicias tanti ducis Absque favoribus armA
Candidus hic ille, huma Nis qui abscessit ab oriS
Inque deum numero sua Desuper inclyta cerniT
Acta, refertque suo iam lam praeconia MartE
Candidus hic, inquam, cui Dii apposuere suum meL
Et dulcem ambrosiam, vi Vax quoque nectar Olympi
Tuque igitur sacro da Sertaque, thuraque, bustO.

{page 179} {M ii}

35. Item

[ACROSTICS: HIC IACET CANDIDUS CASTELIO.]

Horrida mors ferro dum Curvo huc sevit, et illuC
Incautum hunc luvenem secat, Armorumque proterva
Consternit decus, et iuveNilis culmen honoris
Improba, crudelis, trux, Dira: quis impete possiT
Arma referre suo? quin Iulius, Hector, et ipse
Clarus Alexander tam Durum anteire tribunaL
Erectasque acti cerVices subdere mortl
Tanta est hoc rigido diStricta potentia fatO.

{page 179} {p. M ii}

36. In Maledicum aenigma.

Errans Mus scribere, tuum nunc accipe nomen,
Idque tuis par sit moribus, idque iocis.
Diceris errans Mus, male si mutilata reducas:
Raptaque stent numeris bina elementa suis.
Quis rogo diminuit meritum tibi nomen? an errans
Mus (nam Mus peredit cuncta) peredit idem?
Erras Mus ita ne, ut laceres duro omnia dente?
Denique erit tituli iam nota nota tui.

{page 179} {M ii}

37. Ad Ducem Adriae aquevivum.

Multa tui virtus, qua dux nitidissime utrunque
Prospectum oceani late quatis, ut super omnes
Arduus incedas et Phoebi, et Martis alumnos:
En longe devota tibi duo pectora traxit,
Vivae semper aquae dulces bibitura liquores:
Ad quos turba coit vatium, qui te auspice dicunt,
Quae non altiloquo sunt visa indigna Maroni.
Quis te Pieridum neget esse amplexibus, aut quis
De Iove non dicat te una cum Pallade natum,
Si dotes animi, si robur penset in armis?
Felices ò vitae hominum, felicia Secla:
Lapsa quibus coelo Ducis est praesentia tanti.
Cui Mars bellandi, cui pulcher Apollo canendi
Ius dedit, ut nusquam melior te hoc tempore vates
Incumbat musis, aut Dux praestantior armis.
O ergo ne gracilis laudes contemne Cothurni
Maxime Semideum: nec puri subtrahe vivas
Fontis aquas: patere ingenium hoc, quod tua verset
Inclyta facta, locetque tuum super aethera nomen.

{page 180} {p. M ii v}

38. Tumulus Fambroniae Castelionaeae, quae matrem alloquitur.

Heus mater, satis haec fleta ossa, diutius atrum
It funus, quam quod Christicolam deceat.
Ne geme, neu tanti facias, quod morte fefelli
Mortalem, aeterno quo fruerer, thalamo.

{page 180} {p. M ii v}

39. De Iō. Bap. Chrysogono.

Huc huc Chrysogonus tot ex amicis
Charis, quot numerare nemo possit,
Huc charissimus ad suos redibit
Tandem Eremicolas: diutius qui
Quam promiserat, et suam bis, et ter,
Fidem astrinxerat, est procul: gravique
In moerore tenet Sodalitatem.
Sed (ne flete oculi mei miselli)
Revertetur, et ista plus duobus
Nobiscum colet Illiceta seclis:
Quem videbitis, ut prius solebat,
Foecundum simul Hortulum perita
Contrectare manu, simul tenellas
Suo tempore commodare plantas.

Licet patricius, licet sit alta
Natus prole: tamen venusti lesu
Ob dulcem, atque humilem benignitatem,
Synceras adhibet manus labori,
Callis horridulas diu, et nigellas:
Nam illum utile, multiplexque semen
Occultare solo iuvat feraci,
Mox rivo tenui strepentis undae
Inducit vitreum satis liquorem,
Quem culti simulac bibere sulci,
Ac leni tepuere Solis aestu,
Pandit multiplices agellus herbas,
Et refert avido duplum Colono.
Qua re tandem aderit, suosque caros
Angelumque, Theophilumque, raptim
Amplectetur, et osculis trecentis
Blando non sinet ore suaviari.

{page 181} {p. M iii}

40. Ad Servatorem nostrum.

FLAgrantissime lesu amoris ardor,
Et repleta sitis, repletioque
Divinae sitiens perennitatis:
FRAgrantissime lesu odoris arbor,
Miscens nectareum croco liquorem,
Spirans ambrosium rosis odorem:
AMantissime lesu honoris author,
Qui nos degeneres, diuque lethes
Sopitos fluvio, vocas ad astra:
Pientissime lesu amaror et fel,
Dum clavos crucis horridos amarae
In te ultro rapis: utque dulcor, ut mel,
Ut sis vita simul mihi misello:
Quid tibi referam tot ob dolores
Clementissime lesu? an appetis cor?
An cor appetis istud aridum? ecce
Qualecunque habeas, ferasque tecum.

{page 182} {p. M iii v}

41. Tumulus Caroli Agnelli.

Carole, quis vatum praestans, et idoneus adsit,
Qui satis ad tumuli defleat ossa tui?
Sunt, fateor, nostro tenues in carmine vires,

Non tamen ah tenues liquimur in lachrymas.
Carmina debentur lachrymis, lachrymaeque sepulchris,
Debentur functis luce sepulchra viris*
Huc huc et Charites properent, Phoebique sorores,
Quaeque colunt fontem numina, quaeque nemus.
Huc, inquam, properent, elegisque furentibus ornent
Busta sepulchrali semper alenda face.

{page 182} {p. M iii v}

42. Tumulus Candidi Castelionaei.

Arma, supercilio quae templi affixa Viator
Suspiciens ad Tumulum rutilantia, Candidus ille
Castelio, dux ille ducum celeberrimus, ille
Agminis adversi terror, virtusque suorum,
Gestabat, patriaeque suae assignabat honori.
Mirum quam se se dura inter bella ferebat
Impiger hic Heros: cui multi ponderis ipse
Mars genitor dederat nuper thoraca, simulque
Fulmineum gladium, et galeam cervice comantem.
Indefessa viri que* vis, quae gloria, quae laus,
Quisve animus, quod robur erat, novere phalanges
Adversae toties fusae: cum praelia miscens,
Aut clava, aut mucrone hostes caedente fugabat.
Vos etiam Insubres, etiam gens clara Cremonae,
Quondam fumivomis Venetorum obsessa metallis,
Castelionaei Ducis acta ingentia nostis.
Primus ibi ante alios cunctis qui cernuus urbis
Conscendit miro ausu propugnacula tantae:
Quem non saxa, trabes, et edaci pulvere flammae
Deterrere unquam poterant, quin ferreus ille
Hostibus in mediis vastam per vulnera caedem
Spargeret, ac se se pulchra cum laude referret
Ad socios, magnoque Ducum legeretur honore.
Ergo age clara viri tollamus gesta potentis,
Spargamusque alacres victrici fronde sepulchrum.
Martia Pina suo felix gratetur alumno:
Cuius ob insignes titulos, ac nominis auram,
Expulit hesperias longa obsidione Catervas.
Nosque Poetarum minimi (quando incluta magni
Facta Ducis merito nequeamus ferre cothurno)
Saltem hoc mantoi recitemus carmen Homeri:
Candidus insueti miratur limen Olympi.

{page 183} {p. M iiiii}

43. Querela Avis in Corillum Sagittarium.

Dii, quibus est Avium (Si sit tamen ulla) potestas,
Certaque plumosi sollicitudo gregis,
Cernitis ut largo pateat mihi pectus hiatu?
Promat ut abruptum viscera nuda latus?
Conterite authorem Dii tanti vulneris arcum,
Ipseque pro Alitibus porra Corillus edat.

{page 183} {p. M iiiii}

44. De Surrento.

Delicias Phoebi, Musarumque ocia sentis,
Dum surrentina gargara in urbe tenes.
Nempe (modo veniat quod edas aliunde) recessus
Non valet/ habet* huic Helicon, mollis et Ascra, pares
Verum si colles tantum apponantur aprici:
Sit tibi Surrentum delitiosa fames.
Aere Camaleon nutritur, rore Cicada,
Haec ea Surrentum dat tibi, pane caret.

{page 184} {p. M iiiii v}

45. Tumulus Avali, principis Pescariae.

[ACROSTICS: AVALUS REGNAT VICTOR]

Armorum decus, et ter	Ror, quis preterit? heus tV
Vove viator, hic Avalus	Est, sua munera martI
Arma aderunt suspensa	roGo per saecula, doneC
Labitur, adriacosque si	Nus Pescaria lustraT
Virtus multiplici fert	Alta haec ossa triumphO
Sors abiit contempta, ni	Tet suo acumine victoR

{page 184} {p. M iiiii v}

46. Ad Nicodemum fratrem.

HOC tandem Nicodeme colligamus
Portu vela, nec amplius modo huc, modo illuc,
Per fluctus agitamur anxiosi.
Nos qui relliquiae, superstitesque,
Immani superavimus profundo:
Iam laetum canimus Celeuma, iamque
Saltantes ruimus potiri arena,
Et putri sale iam cutem madentem

Purgantes, Maris execramur undas.
Grates ergo suas, suasque laudes
Ore et corde rependimus Tonanti.
Hic hic o Nicodeme roboramus
Navim dente volubilem tenaci,
Non Sortis fidei dehinc parandam.
Sat concredita vita nostra morti est.
Nam tentare fretum quid est, mori ni est?
Hic opes Nicodeme, opumque fastus
Nos nec quam minimi aestimamus assis.
Horum qui ambitione moliuntur
Sub coelum solium, eminentiamque,
Quo eunt altius Icarum aemulantes,
Ruunt altius Icarum sequentes.
Hii fortunae ita commodis anhelant,
Ut quae finis eos manet, nec horae
Tantillum ratione metiuntur.
His tandem Nicodeme commoramur
Sylvarum latebris, et his potimur
Speluncis, ubi pax, et aequa vita est.
Hic viri Nicodeme gloriantur
Se solos bona vera comperisse:
Qui deo, sibi, proximoque vivunt.

{page 185} {p. M v}

47. Ad Iram.

IRA vis praeceps animi, repente
Quae virum turpas, adigisque in atrum,
Quale vel Protei, vel erat Chimaere
 Pingere, Monstrum,
Unde laerneo recalens veneno,
Huc meis repsti miseris medullis?
Unde? dic fornax odii, Canisque
 Spuma trifaucis.
Credin abreptum hoc ideo fuisse,
Quicquid est curae mihi, quidquid artis,
Quidquid ardescit studii tuendae
 Pacis? an inquam
Credis abreptum hoc ideo fuisse,
Quod semel fracto ruerim capistro?
Me sibi, ne frende, trahunt, trahentque
 Vulnera lesu.
En serenatis ut adest ocellis,
Ut mihi, humanos miserans, pepercit:
Tu breves frustra Eumenidum colubros

Livida torques.

{page 186} {p. M vii}

48. Ad socios Anachoritas.

Duremus socii, precumque nixi
propugnaculo, et unitate nostra
Facti iam stabiles, nec huc, nec illuc
Flectamur folio pares, quod Aura
Quaevis fert modico, ut lubet, susurro.
Perstemus validi, nec utris instar
Inflemur tumidae: sed hoc laborum
Curramus stadium semel receptum.
At cursu in medio, cavete, condunt
Suas decipulas, suosque casses,
Ter centum Genii mali et nigelli,
Qui circumsiliunt ab axe pluti.
porro lachrymulis ubi precantes
Dulcis laverimus pedes lesu,
Illi ne minimi aestimentur unguis.

{page 186} {p. M v v}

49. De quodam Anachoreta nimis ocioso.

Ni ego hallucinor has tenebricosi
Per frondes Nemoris, procul videre
Macronem videor, novissimus qui
Nobiscum accola factus est Eremi.
Ut quidquid segetum modo per urbes
Mendici, modo de labore nostro
Venamur: comedat, voretque lurco.
Quid non semper edit, nihil laborans?
Verum subdubito sit an Macro iste.
Immo est, nam sedet hic, et oscitatur,
Quod sedere suum est, et oscitari.
Mirum si quid agat volumen istud
Nugarum, Simiusque ineptiarum,
Quam torpescere commodum ad laborem:
Quam fervere massicum ad liquorem.

{page 187} {p. M vi}

50. Flentes oculi ad Cor.

O cor, ah cur plus nimio gravaris?

Cur times tantum, nec amare discis?
An tui, dic cor, sumus intuendo
Causa doloris?
Cernimus maesti siquidem bicornes
pingier templis Lemures, nigrasque
Sontium furcis animas voracem
Ferre sub Orcum.
Hinc sanguis frigus tremebunda currit
Ossa per, circumque tuum tribunal
(Noster es iudex) coit, et paventes
Deserit artus.
Omnis heu tunc artis inops, tuique
Impotens, nescis quid agas miselle,
Aut quid obiectes opis imminenti
Desuper irae,
Nosque laxata cute discolores
Semper obiurgaris, et omnis in nos
Culpa fertur, qui male lanitores
Te tueamur.
Tunc procellosas Aquilone rupto
Sublevas iratus aquas. Quid heu quid
Fluctibus mersi obruimur, pedesque it
Fletus ad imos?
Ne nimis saevi tibi cor, tuisque
Ne cor ah saevi miseris ocellis,
Sed Crucis causam memora, sed ipsa
Vulnera Christi.

{page 188} {p. M vi v}

51. De Sacello divo Ioan. Baptistae dicato.

Cui vestrum Proceres, bonique Cives
Urbis sydereae, modo absolutum,
Quaecunque, dicamus hoc sacellum?
An tibi Petre? summa cui ligandi,
Solvendique Animas rogata cura est?
Ecquid Paule tibi? quis aptior te?
Te quis continuus magis, magisque
Indefessus Evangeli ad labores?
Sed nec Petre tibi, nec alteri (absit
Livor Coelitibus) sacramus Aram:
Aram, quae erigitur: Favete laeti
Baptistae nemorum, sacraeque Eremiti
Cultori, ut nemorum, sacraeque Eremiti
Cultores foveat, diuque servet.

Baptista huic preaerit* [praeerit] Sacello et Arae,
Det nomen, titulumque, et illi, et illi.
Vos quoque aligeri Deum ministri,
Hinc hinc horrisonum vetate fulmen,
Hinc hinc anguicomas fugate Diras.

{page 188} {p. M vi v}

52. De eodem.

O quisnam Superum novo sacello,
Haud tofo, et pariis sito columnis,
Sed crusta scopuli modo expedito,
Huic nomen facit? O quis huius arae,
Quodquod munus erit, favens secundat?
An Baptista feras id obtineri
Abs te? an, si quateris prece, assequemur?
Sed non hanc refugis subire curam.
Olim tu quoque vastitate rupum,
Et sylvae latebris frui solebas.
Qua re tu face quidquid est Sacelli,
Quidquid ara precum vovet, ratum sit.

{page 189} {p. M vii}

53. Ad Nicolaum morosinaeum.

I papire, meum Morosinaeum
Festina reperire, ubi moratur:
Dic suos male torpet ad sodales
Remigrare, nec esse tam negoci,
Ut modo, Venio, modo, Venibam
Modo, quum Veniam rescribat ad nos.
Ah tandem Veniat, sonetque, veni.
Hunc precare, vel arroganter urge:
Demum provideat suo decori:
Satis prospiciat suis Amicis:
Qui sylvis velut Orphani vagantur.
Quocirca si animo (ut solet) virili
praestet, huc Avis advolabit instar.
Quamvis Nobilium modo hi, modo illi
Contendant reditus vetare coeptos.
Qui modo (nisi falsa nunciantur)
Illum glutineis foveant in ulnis.
Dic ergo repetat suos amicos,
De quibus, mora si trahatur, actum est.

{page 190} {p. M vii v}

54. Blanditur Pauli epistolis.

Mi Libelle, mi ocelle, corculumque,
Et solaciolum mei laboris.
Quem noctuque diuque savior, cui
Assurgo tremebundus, ut quid omni
Duriusculus es magis libello?
Ut quid te asperulum, inviumque praefers?
Qua re me puerum sat imperitum,
Ignarumque tuae profunditatis
Mammis admoveas, quoad virili
Grandiusculus assuescar escae.

{page 190} {p. M vii v}

55. De illo, Ductus est Iesus ut tentaretur a Diabolo.

Inferni Lemures, et Monstra nigerrima Ditis,
Vosque avidi umbrarum Manes, quae audacia tanti
Vexat, ut Authorem rerum vos omnium adorti
posse illum vestro sperastis fallere visco?
Discite deformes Animae, non ulla manere
Gaudia vos post hac summi aetheris,* illa fideles,
Illa decent humiles vitas. vos iure superbas,
Candorem exuti, luitis caligine poenas.
Hinc a luce procul miseri Cocytidos umbrae,
Res alibi vestra est, ubi Pluto immania sceptrum
Sustinet ignipotens, vosque inter pendet ab atro
Terribilis solio, flammisque impartit edaces:
Sors ubi perpetuo vestra est obnoxia fato.

{page 190} {p. M vii v}

56. Blanditur suis oculis.

Flevimus tandem ne oculi? an duas (ni
Fallor) horas flevimus? o beatæ,
O salubres lachrymulae, O pusilli
 pectoris imbres.
An bibunt Memphitica prata Nilum
Largius septemgeminum? sitim ne
Mollius sedat puteo profundo
 Usta Syene
Ut modo vestro recreor liquore?
O mei dulces novies ocelli,

Et favis Hyblae magis, et recenti
Lacte. Sed aequa est,
Nuncio, mens huc adhibenda, rebus,
Ut nimis fisi, aut alacres secundis
Frena laxetis cilio, malusque
Repat adulter.
Ille nam fallax, et adulter hostis,
Versipellis, durus, atrox Cupido
Iam faces, atque arma vocat, feroxque in
vulnera pendet.
Ah niger Daemon, violas ocellos
Tun meos furtim? rapies amorem
Foede Amor bellae Crucis? at velis no-
lisque, tuemur.

{page 191} {p. M viii}

57. In furem.

AT quis tam validi repertus, et tam
Firmi pectoris, ut tibi impudens fur
Non succenseat, et reclamet usque
Ad convitia, et aciora dicta?
Venisti siquidem Hortuli ad vireta
Succulenta mei, et negas negare
Quemquam, aut Alcynoi, aut Adonis hortos,
Tam vernos nec habere flosculos, nec
Tam simillima poma fulgido auro,
Qualia Hesperidum fuisse dicunt.
Tu mei nihilominus corollam
Et solatiolum Hortuli latro, et fur
Suffuratus es, An tu ita optime hospes
Solvisse hospitium soles? ita album
Clam sub veste rapis trifurcifer fur
Meum Liliolum? cui et lac, et nix,
Et rosae et violae dabant honores,
Minusque albidulae, minusque olentes?
Qua re sacrilegas (sit ante dictum)
Sacro trade manus viro piandas,
Et facti facinus fatere furti.
Nam, si te latet, ille flos stetisset
Bellam ante effigiem benigni Iesu.

{page 192} {p. M viii v}

58. Ad Christum Oratio.

Lux mea (nanque tibi summus pater omne potenter
Credidit imperium mundi, seu parcere clemens
Subiectis, seu iuste probes domitare superbos)
Prò phlegethontaeis quae gens emersa caminis
In me signa movet frendens? pessumque minatur
Me dare? iamque tubas strepere, et clangoribus atris
Accipio lituos, atque arma sonantia late.
Me miserum quae nam facies? quae monstra? quis horror
Urgentum Lemurum? qualis quantusque catervas
Ductor agit? spumasque atrox vomit ore cruentas?
Ille Satan (ni fallor) erit: qui adversa volutat
Castra, pudicitiae invasurus moenia nostrae.
Et quis ego? ut veniam contra? summaeque ruinae
Me obiiciam? cui nulla acies, nulla arma, nec ulla,
Quod magis ad Martem facit, experientia belli.
Ergo age Christe meos legatos excipe: qui sunt
Et lachrymae, et gemitus, et quae suspiria Tygres,
Et quae sarmaticas valeant inflectere Cautes.
Te coeli, terraeque potens, te maxime regum,
Quem trepidant manes victi, cui coelica paret
Militia, unum oro, da invictum pectus, et arma,
Daque triumphatis me me hostibus altius ire.

{page 193} {p. N}

59. Cyrillum increpat, quod ignaro literarum paulinas donasset epistolas.

O' qui nobile Solitariorum
Efulges specimen quot extiterunt,
Quot ve sunt modo, quot ve erunt deinceps,
Mallet aut Chrysogono, aut mihi dedisses,
Quam isti delicias peritorum,
Pauli scilicet aureum libellum.
An sat commodus ille, idoneusque
Hortifossor habetur, ut libellum
Tam bellum, aureolumque, melleumque
Docti susciperet manu Cyrilli?
An Cyrille habilem esse censuisti
Durum foenisecam explicare Paulum?
Is quanto magis utilis ligoni:
Is tanto minus utilis libello est:
Cui nec littera quamlibet minuta,
Nec tantillus apex patet figurae.
Verum, inquis, bonus est vir, ah cachinnor
Ut huius bonitas homuntionis,
Qui Bubulci ad aratrum ineptit, aptet
Se se Pauli ad epistolas profundi.

{page 194} {p. N i v}

60. De Nicolao Maurocaeno sive Morosinaeo.

EST mihi ad Venetas iter Lacunas:
Ut inde omnimoda protervitate
Furer doctiloquum Morosinaeum,
Nostrae praesidium Sodalitatis,
Nostraeque auspiciam iubarque Eremitae.
Illum subripiam, suaeque Matris
Extirpem vetulae sinu licebit:
Quae verbosum, et anile nescio quid
Miscens blandiciis, et udo oculo
Stillas callidula eliquans minutas,
Hunc nobis adimit, satis, superque
Morosa est mulier, morosiorque,
Quam quod expediat morosinaeae.
Quin natum memorat semel Sacrorum
Oblatum officio? quibus parentum
Impium est pietatem anteferre?
Quare audaculus hunc ego admonere,
Immo liberius volo exprobrare,
Furarique suis Morosinaeis.

{page 194} {p. N i v}

61. Moerens anima in Christum pie invehitur.

ME ne supervacuis et adhuc insistere curis?
Non posse obstructam coeli recludere portam?
Illam quandoquidem crebris posco ictibus, illam
Excutio, impello, clamores insuper addo
Solicitus, donec pene iam labefactus amaras
Prorumpo in lachrymas, et me me in limine sterno.
Siccine evangelicae iuxta promissa salutis
Ianua pulsanti mihi iam reseratur Olympi?
En ego, qui toties supplex tero limina templi,
Amplexusque aras teneo, pedibusque volutor
Christe tuis, animo fassus contagia vitae
Tanta meae, tepidoque oculi mihi fonte liquescunt:
Necquicquam crucior: Ne ah clementissime IESU,
Ne patere hanc animam spe, quam tenet anxia, labi.

{page 197} {p. N ii}

62. DE SANCTORUM BEATITATE.

MENS diu siccis peregrina terris,
Iam dei fontem sitit ad perennem,
Iam satis vitae penitus caducae
Turbida vixit.

Pugnat abruptis laqueis vetustae
Carnis educi exilio, suaeque
Dulce iam littus patriae relata
Visere gestit.

Fortius terrae patimur ruentum
Tot procellarum, tot adhuc laborum,
Laeta cum sensu memori tenemus
Iubila Coeli,

Quis triumphalem sat alacritatem
Illius regni aetherei? quis auro
Tecta fulgenti, niveisque gemmis
Condita promat?

Limus, et quicquid maculis nitorem
Inficit, quicquid graveolentis aerae
Fumat e stagnis, procul a Deorum
Sede recedit.

Non ibi glebas queritur praeustas,
Seu trahant rimas Cane sub flagrante,
Seu decembrali rigeant sub arcto,
Durus arator.

Ver ibi sertis alimenta florum
Praebet aeternum, variatque nedum
Tot coloratos, sed odore miro
Spirat amictus.

Mobiles aerae, Zephirique lenes,
Et iugi ripas decorant virore,
Et ferunt multo variata sylvis
Poma decore.

Aureo laeti Genii colore
Post triumphantem glomerantur Agnum,
Et choros ducunt, et agunt ovantes
Ore paeana.

Quisque Divorum sua per trophaea
Gloriam pulchri tituli reportat,
Aut quibus victor stygium palaestris
Fuderit hostem,

Aut Tyrannorum veluti furentum
Spreverit Crates, Clibanos, Ahena,
Ut sequi Regem cruce sub beata
Posset Olympo.

Iam tenent portus, vacuique tandem
Colligarunt vela cadente fluctu,

Navitae digni, qui oleae coronas
Aetherae sumant.
Iam canunt iunctis clypeis receptu,
Post tot obiecti capitis pericla,
Milites digni, qui onerent superno
Tempora lauro.
Iamque coelestes animae levant se
Se catervatim Lachesi perempta
Sub thronum Regis, pariterque laeta
Voce resultant.
Hic suum Regem Proceres honorant,
Praedicant, mirantur, amant, loquuntur,
Hic Dei nomen tonat: hic labores
Dona sequuntur.
Hic bonos Cives amor unus, una
Claritas miscet, penetrantque se se
Mutuo tamquam vitreos, nec ulla
Nube nigrescunt.
Est idem cunctis quod inhaeret uni,
Id volunt, noluntque, pares amici,
O quam felices gladios, quibus gens
Tanta perempta est.
Vosque felices lachrymae tot ante
Noctibus fusae vigilanter, et vos
Antra, sylvestresque dapes, et horrens
Cultus Eremi.
Hoc quidem coelos rapiunt agone
Seduli Athletae sibi se negantes,
Nunc in aeterna sine fine laeti
Pace quiescunt.

{page 197} {p. N iii}

63. Ad Cyrillum.

QUOD Cyrille tuus stat Hortus acrem
Ad Notum oppositus, quod a Favoni
Flatu sepositus, quod alter haurit
Opimum, quod opimat alter haustum,
Dicis nec minimum virentis herbae
Cultori areolas tibi referre.
O malae areolae, malique Venti,
Quorum qui humidulo madescit imbre,
Hunc Cyrille, ais ustulare betas:
Et qui siccat, agitque ab axe nubes,
Hunc idem asseris irrigare betas.
O inquam degeneres, malique Venti,

Qui praevertitis ordinem, nec ipsi
Meo sufficitis dapes Cyrillo.
At non est (fateamur) ò Cyrille
In causa, nec amaror Austri,
Nec dulcor Zephiri negantis auram:
Sed iucunda, frequens, vigilque cura
Librorum: quibus unus accolarum
Deserti magis excubas. proinde
Pro porro Ambrosiam, pro acore caepe
Suggis nectareum magis liquorem:
Nam libros sequeris, fugis ligonem.

{page 198} {p. N iii v}

64. De aureo Vase, in quo Eucharistia servatur.

URNULA, quam gemmis auroque nitere videmus,
Quaeritur angusto quid ferat in gremio.
Est precium quo non aliud preciosius, ipsa,
Quod rerum amplexus non capit, ecce capit.

{page 198} {p. N iii v}

65. Blanditur suo ligoni.

AMO te merito Ligo ligonum
Antistes, nitidi minister horti,
Nam quantum est, vel erit, vel ante constat
Tot iam secla fuisse sarculorum,
Nemo te melius repurgat herbas,
Unde tot sata, multiplexque vernat
Pubertas holerum, decusque florum.
Tua namque opera Nemus virentum
Betarum superat, suosque late
Dat lactuca dapum quies lacertos,
Non est dicere quanta brassycarum
Sit vis: dispeream nisi praealtis
Se herbae subiiciant pares Cupressis.

{page 199} {p. N iiiii}

66. Ad Deum patrem de filio.

ASpicis alme pater pro me quamque impia, quamque
Fert indigna Puer tuus ille simillimus Agno?
Ille tuus Puer innocuus, Puer unica proles
Qui tibi, tam dira laniatur caede, nec illi

Parcis, ut e stygio me servum carcere ducas?
Nonne hic expulsor tenebrarum, authorque dierum?
Hoc duce nonne vetus patuit pereuntibus error,
Et datur ad nostram via, lux, aditusque salutem?
Tu pater, ah, crucis horrenda sinis arbore natum
Dilectum natum rescisso corpore figi?
Turpius an tanti genus est cruciaminis? ambos
Ille pedes, ambasque manus traiectus ahenis
Ut pendet clavis: ut apertum vulnere pectus
Sanguineum manat fluvium, ut compacta cruore
Caesaries rubet: transfixo vepribus horrent
Serta tenuis cerebro: cervix ut languida prona est
In latus: ut livent oculi: ut defossa cavantur
Tempora: ut ora trahunt retrahuntque per ilia tristem
Languentemque animam: Cernis spectacula tanta haec
O Pater et pateris? mitissime conditor, ut me
De morte ad vitam revoces, tua pignora torques.

Ista meas decuere manus, decuere pedesque
Vulnera, cuspidibus Clavorum pervia duris.
Sic haurire latus mihi Lancea, sic mihi frontem
Debuerant haurire simul rigidissima serta.
Quid sputum? quid amarum fel? quid amarior ipso
Felle iocus mordax? an visa nocentior illi
Crux ligni cruce linguarum? oreque subsannantum?
Eya agite ò sensusque mei, mea mens, mea quaeque
Vis animi, fluite in lachrymas, in flumina, in amnes.
Flete oculi miseri, pro me quod ab aethere labens
Huc deus, ad facinus mortem subit omne piandum.

{page 200} {p. N iiiii v}

67. Blanditur Cyrillo sarrienti.

Tu tandem requiesce mi Cyrille,
O mi care Cyrille, tute tandem
Sub Lauru requiesce digne lauro.
Nam quod te assiduo eneces labore,
Glebas excutiens Canis sub aestu
Non laudo, expedit interim ociari,
Umbellasque subire te decentes.

{page 200} {p. N iiiii v}

68. De passione Domini.

Heu me mens mea Iesus, heu meum mel,

Meae deliciae, meique flamma
Dulce urens animi, meusque ocellus,
Qui cum saepe loqui, et bonas solebam
Noctes ducere pervigil fruendo.
Heu me heu me miserum miserrimumque
Iesus se obtulit impiis, et ultro
Ille ille in cruce contumeliosa
Fracto corpore mortuus pependit.
Ah Lupi rabidissimi, ah quod Agnum,
Tam bellum Agnum odio et neci dedistis.
Ah Gryphes rigidi, famelicique,
Siccine abripuisse vos Columbam?
Sic inquam abripuisse vos Columbam
Mellitam niveamque et elegantem?
Ac demum truculenter immolasse?
Lugete o Scopuli, aridaeque rupes,
Aut si quid scopulis et aridis est
Rupibus magis horridum et rebelle.
Immanes siquidem Ferae gemiscunt,
Et nigri colubri, et breves cerastae,
Unus saevit homo, exuitque sese
Humanis, ut id omne quod ferarum est,
Ut quod Caucasi, Atlantis, ut quod Aethnae
Amens induat, utque crudior sit,
Ut sit frigidior, magisque durus
Quavis tygre, draconeque, et molari.
Insontem ne hominem ipse sons cruentis
Invadit manibus? sputat? flagellat?
Subsannatur? acerbat? ossa tandem
Tot disiecta flagris, cruci duorum
Inter corpora destinat Latronum?
Sol ferruginea impeditus umbra
Tam diram abstinuit videre mortem.
Tellus quassa, petraeque scissae, et urnae
Sanctorum cinerum repertae inanes
Haud magno sine teste nosse rerum
Authorem fremuere: Perstat unum
Immortale animal, negat, resistit
Velle agnoscere amabiles Iesu
Mores, et documenta veritatis.
Tu vero bone Iesu, et ultionum
Spretor, Carnifici tui cruoris
Indulges homini, Patrisque pro illo
Exoras veniam, poloque adactum
Tam tibi oppositum oscularis hostem.

Temporis imperium, gentemque, et facta tyranni
Dum canimus, nec non quis Ianitor ostia servet
Urbis Apollineae, atque idem servaverit undis
Omnivagis mortale genus, quo tempore primum
Subdidit Oceanus pater alto in gurgite montes,
Paule fatigamur violento examine Vatum.
Quandoquidem deus ille biceps, deus ille biformis
Ianus, ut e monstro vir prodeat, ilicet una
Huc tibi fronte aderit, quem nulla in parte viriles
Defraudantem habitus, gressumque et membra videbis.
Hinc torvos latrare Canes, et carpere Ianum
Morsibus hunc nostrum videas, sed tu urse recurvos
Cum* primum exacuas unguis, aut frendere in illos
Incipias villosque furens attollere, livor
Sopitus cadet, at vigilant in pectore curae.

Virgo parens, qua non aliud mihi certius optem
Numen adesse, quod ipsi homines didicere precando,
Si tibi conspicuis molimur Tempia Colossis,
Si flore instruimus, si thure incendimus aras,
Oramus, ne conde iubar, ne subtrahe nostro
Lumen ab intuitu, cui sol assurgit, et axem
Ipse tenens medium lapsis caligat habenis.

Nuper ego aggressus longum per inhospita cursum
Quo me cunque vocaret iter mortale terebam,

Cum via dividuo tandem seiuncta recessu,
Hinc atque hinc abiit varians, geminoque sub ipsis
Cunctantem foribus me aditu in vestigia fixit.
Haerenti procul ecce mihi dux obvius ibat
Gonziacus, quo non alius praestantior armis:
Cui trepidae ad numerum laetas movere choreas
Pierides simul et Charites, terque ore, quaterque
Ingemuere suum Federici ad gesta Maronem.
Sol, qui forte agiles tunc per compendia currus,
Alpinum fugiens Boream, declivis agebat:
Et nox, quae oceano distentam moverat Urnam,
Quam puer idaeus ventoque, et turbine verset,
Infensamque Aquilam summo deturbet Olympo
Increpitans, memoretque Idam, memoretque rapinam:
Arrisere simul venienti ad compita Marti.
Ipsa etiam Regina avium, prius acta theatro
Quam sit ab aethereo, et sertum Minoidos una

Praecipitet, miscere parat vento omnia circum.
Ut vero iuvenem procul adventare superbum,
Insignemque aquila nigranti tergore vidit,
Extemplo simul indignantes decutit iras
Pectore, lapsa simul coelo pernicibus alis
Findit humum, penitusque cavo se littore condit.
Ergo uno volucrum e celis abeunte Tyranno,
Cui caput, et toto candescunt corpore pennae,
Tum surgente alio Federici vertice summo,
Cui caput, et toto nigrescunt corpore pennae,
Syderei patuit subito decor omnis olympi.

Hic ego tum magnae percussus imagine lucis
Dissimulo, tectusque virum contemplor ab umbra.
Ut vero inspectum latebris, ad seque vocatum
Me tenuit, sic sic interpellabat. An hic te,

{page 204} {c. N vi v}

Hic te etiam demulcet amor post funera dici?
Aut magis est visum non longius ire sepulchro?
Quo furor ingenium tibi nunc rapit improbus ille,
Ille inquam furor, insulso qui carmine Baldum,
Nescio quem Baldum, simulans, tenet omnia risu?
Ecquid ubi eiectum est illud rude carmen ineptum,
Ac deforme, iubet fama hic labefacta novari?
An te poenituit forsitan tam ignaviter usum
Tempore, quo nihil hac rerum sub mole terendum
Parcius, usque adeo rapidis se surripit horis?
Ergo erit, ut semper vulgo plaudente iocosum
Musa ferat Baldum? musa amens? musa choreis
Aonidum seclusa? decus prodegerit omne,
Futile dum rauca disperdit arundine carmen?

His ego non minus obrigui formidine demens,
Quam si terribilem obiectasset Gorgona Perseus.
Vix tandem accessi trepidans, ita voce locutus:
Talia cum memores dux praestantissime, nulla
Causa te ab officio revocet, studioque favendi:
Iamque fave, atque huic ingenio, quodcumque, profundum
Vadenti per iter, da tandem sistere posse,
Dic, rogo, Virginibus, quibus arx parnassia curae,
Tendentique manus, crimenque insigne fatenti
Dent veniam conversae animos, vatemque reformat.
Sed mihi tu dextram? dextram tu porrigis? an qui
Dudum serpsit humi duce te caput exeret alte?
Ecce ades ó tandem, huic io io applaudite, Nymphae
Mintiades Nymphae Federico applaudite vestro
Is magnum Gonzaga sonans patet arduus orbi,

Equae bianorea populos circumspicit urbe.
Cui latus adglomerant macti virtute decora
Germani, insignes, alter flammante galero,

{page 205} {c. N vii}

Atque ostro, sacris dictus, qui nomen honorat
Herculeum: alter equo alipede, et calcaribus aureis
Fernandus, non ipsi impar ducis arte Gradivo.
Quam prae se ore ferunt magnos, quod robur in armis,
Quis neget esse Deum sobolem? Mens excute tandem,
Excute segnitiam, atque aliquod tibi surrige nomen.

Dixeram, et accedens propius scitabar, ut ipse
Monstraret, quo se, duplex vehit orbita, nanque
Prae foribus varii discriminis haesitat anceps
Quisque viator, an huc gradiens, an se ferat illuc.
Mobile si vulgus, dixit, Plaebemque caducam,
Quae vix nata, mori digna est, indignaque nasci,
Forte sequi mavis, si pulchri nominis auram
Negligis, ad levum torque huc vestigia cornu.
Haec via se fini citius rapit, inque palustres
Descendit calamos, ubi caeno involvit euntes.
Si vero extolli cupias atque inter haberi
Egregios animos, age, fretus numine Divum,
Dexter abi, ut venias aeterni ad nominis auram.
Hic Virtus habitat studiosae debita curae:
Quae longe melius quam sors malefida beatum
Efficit, ac longe melius te insignis honorat.
Haec nos certa manet, sed amat speciosa requiri:
Quam labor assiduus reperit, potiturque reperta.
Interea quanta est currenti occurrit, et amplos
Obnitenti animo tandem largitur honores.
Hinc ergo adproperans pete Temporis ostia, quo te
Non procul angusto ducit via dextra meatu:
Dum sat lucis iter per opaca silentia sumit
Dumque suas revehit Phoebe iam proxima bigas.
Dixit, et aversum labens nitidissima nubes
Improvisa illum tollit, qui visere forsan

{page 206} {c. N vii v}

Interdum evehitur patrios Haeroas Olympo.
Atque ego iam tanti laetatus origine facti,
Progredior, quo dextra viam mihi semita pandit.
Non procul adverso Lunae patuere sub aura
Moenia, turrato quae vertice sydera pulsant.
Temporis hic regnum, magnique palatia Phoebi.

Protinus accurro: mirum quamque ardua quamque
Lata tremunt, totamque obeunt fastigia terram.
Quis tamen id tantum credat, si singula fari
Incipiam, quae his vidi oculis, ut ad astra ferantur
Murorumque minae, utque urbem vastissima cingant
Moenia phoebeam? nec (si componere magnis
Parva datur) pudeat Mundum dixisse theatrum:
Quo sua quaeque dies aedit spectacula Genti.
Illa sed Artificum miranda peritia motis
Cardinibus conflarat opus versatile, ut ingens
Circumducta rotae similis structura vehatur.
Alterat haec nunquam certa vertigine cursum,
Donec apollineos ad metam circinet orbis.
Continuo summis exundant turribus atra
Nubila, quae pluvio (pro ut mobile iusserit aevum)
Plena sinus humore cavos, rutiloque vapore,
Nunc bibulos placida mulcent aspergine campos,
Nunc rescissa tonant, torquentia fulmen ut ictu
Grandineo adducti modo spem populentur aratri:
Et modo hyperboreae lento nivis imbre liquescant.
Saepe tamen vacuum purgantur in aera, nec se
Obiiciunt solemque inter, camposque iacentes.
Ventorum hic etiam domus est, et quae omnia certe
Sub ductore fluunt, motuque ac fine laborant.
Praeruptas nec enim sine iussu Temporis undas
Eructare fretum videas, aut ponere fessas.

{page 207} {c. N viii}

Flant Euri, altisonum praetexunt nubila coelum.
Flant Zephiri, collecta fugae sese undique dedunt.
Flumina threiciis Aquilonibus arcta stupescunt.
Mox tumida expugnant ripas urgentibus Austris.
Prae foribus stabulant alternae semper, et ipso
Vestibulo positae nent fila cubilibus Horae,
Horae Parcarum vigiles, motusque ministrae.
Ferrea mobilium stat machina fixa rotarum,
Quas inter sese varias, refluxasque vicissim
Pendula detorquent intento fune metalla.
Sex quater haec etiam datur horis cura, minutos
Quae obliquant passus, numerosoque ordine se se
Ad metam impellunt, ubi quaelibet aere canoro
Nunciat erumpens quidve Umbrae, quidve coruscae
Lucis agat Tempus: quo ipsi succedere Menses
Admoniti possint tectis ad iura Tyranni.
Post illos Annus senior, cui plurima pectus
Barba tegit, redeat, cunctasque recenseat omnium

Expensas rerum, aetatesque ac singula Lustrum.
Temporis actor id est, qui praecipitante sororis
Fretus Olympiadis calamo, terque omne quaterque
Supputat in numeros Coelum, summamque potenti
Ac procerum primo dat pleno examinare Saeculo,
Saeculo, cui magnos impendit semper honores
Rex ipse, atque suo lateri consistere mandat.

Hic ubi me oblatum celsa despexit ab arce
Hora, quae in excubias successit tertia primas,
Quis veniam subito proclamat, et unde profectus,
Quidve feram noctu, nec euntibus esse futurum
Omnibus accessum, nisi quos, aut plena sciendi
Vis agat, ut rerum causas ritusve capescant,
Aut quibus ingenium longe praestantius ardet,

{page 208} {c. N viii v}

Mobile hoc imperium regni ulterioris amore
Tranandi, atque viam coelo bipatente secandi
Causarum ad causam, domitrix quae temporis omnia
Aut movet, ut placitum, fini, aut immota perennat.
Talia quaerenti tum sic ego. Diva potentum
Heroum genitrix Gonzaga huc visere Tempus
Me movet, excitum vitae melioris ad usum,
Atque adeo instabili subductum examine vulgi.
Da facilem (quando hic Aevi sunt ostia) tanto
Successum voto, neque me quid fingere crede:
Non ea vis inopi, non haec fiducia soli.
Te rogo, te per eas, quas iunctas ore supino
Nunc tibi tendo, manus: te, per si cognita nostris
Horarum officio veniunt obtutibus astra,
Oro, pande fores. Tunc ardens illa repente,
Ac dictis lenita meis sua puncta cucurrit,
Trisque adiit numerosa notas, terque aere locuta est.
Tum primum rauco gemuerunt cardine postes,
Iamque patent, iamque ipse animo feror intus ovanti.
Qua subito mihi porta data est vir limine primo
En fuit, aspectuque gravi, firmaque senecta,
Corpore procerum, canos qui ad menta comantes
Demulcens leva, dextram mihi porrigit ultro:
Quae coniuncta meae sanctum de more feriret
Hospitalii foedus, Socioque in iure teneret.
Incipit ille simul. Quisquis novus hospes ad aulam
Temporis accessi, longum perferre laborem
Disce prius, verumque scias excerpere falsis.
Ambagum domus haec, et inobservabilis error,
Centum intermiscens aditus, quibus unica tantum

Semita permixta est ad recti pervia lucem.
Huc pauci ire legunt, arcto nanque illa recessu

{page 209} {c. O}

Visa quidem spreta est: Sed iter, quod tramite largo
Expatiat, amant plures, frustra que vagantur,
Quaerentes phoebum tenebris, dumque aurea lustrant
Sydera, plus noctem subeunt coeloque recedunt.
Hic non ductores desunt ad compita verae
Fallentisque viae, studia in contraria qui te
Nutantem reddant: Sed qua nulla orbita signat,
Aut saltem tenuis visa est, hanc irrue certam,
Impiger hanc tendas, fidosque huc dirige gressus.
Disquirant alii Zonas licet aetheris, atque
Non contenti oculis, animosa indagine summum
Invadant mundi Artificem positisque figuris
Illius evolvant speciem, totusne coheret
Ipse sibi, spectat ne unquam mortalia, quae iam
Temporis arbitio* curaeque obeunda reliquit:
Quotidiene aliquod statuit novitatis, an ipso
Principio ad varium simul omnia tempus habenda
Composuit: Si fata queunt summota referri,
Val* [vel] magis ipsa semel sententia fixa manebit.
Haec eadem nescire hominum est, quae summa recedunt
Tot spatiis, visuque negant se opponere nostro.
Tu contra obnixae studiis incumbere dierum
Ne frustra volitent, raptimque ferantur inanes,
Quin melior vitae, morumque evaseris, atque
Contuleris quid quaeque dies, quid vita reposcit.
Talibus admonuit Senior, tunc ipse rogabam
Illius an curam, nomenque audire liceret.
Quid servet, primi custos an liminis esset.
Tunc ille ad coelum sublato lumine dixit.
Est mihi cum reliquis a summo iniuncta Tonante
Cura satellitibus deducere mensibus annum,
Ac parere Deo moderanti cuncta, polorumque

{page 210} {c. O i v}

Imperitanti animis: quippe huc venientibus ipse
Pando fores rapidisque Horis aperire potestas
Per me certa datur, quae alternae limina servant.
Ast obtusa adeo duplici me fronte vetustas
Nescio quem, mentita Deum est, arisque locavit,
Cui primum ante illos, quos prisci habuere deorum
Officio, positis flammis libare solebant,

Tanquam principio rerum omnium: et indice pacis
Me templo, quod lex claudebat: et indice belli
Quod recludebat, celebrem fecere Quirites,
Ac dixere Deum geminum, lanumque bifrontem:
Qui qua se removet, qui qua se reddit Apollo
Cervice poteram immota diversa tueri.
Quid memorem vel quo Salii me nomine, vel qua
Me Tirii fama tulerint? quorum altera plenis
Turba madens cyathis, et saltibus acta solutis
Me Chaos assuerat cantare, deumque deorum.
Altera sed longum curvaverat orbe Draconem,
Extremam sibimet caudam post terga vorantem.
Sed quid ego his dudum moror hac te argente sub arcto?
Immo age, iam nostris succede penatibus hospes,
Et nos Gonzagae forsan poterimus alumnum
Suscipere haud animo ignavo gracilique paratu:
Quis genus Heroum, quis Mantus nesciat urbem?
Dixit, et accitos vocat in diversa Ministros.
Illi se genio expediunt, epulisque struendis,
Dumque penu instaurant, alii crepitantibus augent
Luniperis flammam: tecto quae plurima surgit,
Immissoque levat frigentia membra calore.
Fulcra dehinc albis mantilibus ordine sistunt:
Nec deest argenti mensis onerosa supellex.
Hic Senior postquam vitro spumare phalernum,

{page 211} {c. O ii}

Appositumque videt, simul et cerealia dona,
Haud mora, poscit aquam surgens, unaque lavamur
Inde oculos, palmasque simul sic voce tetendit:
Adsis omnipotens rerum dator, haec tua laeto
Munera da sumi auspicio, nosque eripe culpa,
Quos tandem aethereis dignere accumbere mensis.
Haec ait, et simul oblatas consumimus escas,
Totaque prima fames per muta silentia transit.
Sed mox ille alacri sic pectore iam satur inffit*:
Haec tibi divino patuerunt ostia nutu,
Quo plura ediscas animo credenda tenaci.
Proxima nanque dies, et nox haec ultima, signis
Transactis coeunt, nec non vetus interit annus,
Ac novus in foribus sumit primordia nostris.
Has ego constitui latio de more calendas,
Itala quum primum rex pauper scepra tenerem.
Sed pro' ridendae quantae hoc in tempore leges.
Usus erat iam tum (nec adhuc bene perditus ipse
A populo excessit, cui lux syncera coorta est)

Omnibus ut tectis hac prima in nocte vetustum,
Atque habilem flammae sinuoso stipite truncum
Quaereret ipse domus pater, inventumque levaret
Vi multa, atque suis humeris imponeret ultro.
Mox altum sudans vasto sub pondere tectum
Scanderet, ex illo primos ubi suscitaret ignes,
Arboreumque focus det ramum, hac lege cremandum,
Audeat ut nemo flammae subducere prunas.
Nam si religio tanta haec violata fuisset,
Nimirum gravis infesto succederet annus
Daemone, qui segeti pubenti, qui humida duris
Ulcera defigit Tauris, et aratra moratur,
Tum scabie immunda teneras interficit Agnas.

{page 212} {c. O ii v}

Praeterea observant epulas, ducuntque necesse,
Nec nisi dispositum fato, quod certa parentur
Fercula, quae* partim sibi consumenda repente,
Arbitrio partim divum linquenda Penatum.
Tunc passim videas longo torrere suilla
Terga veru, nigrasque super defervere crates
Viscera, purpureo longe distenta cruore.
Quae vix rapta focus, et adhuc calidissima, laxos
In ventres abeunt, ut viscere viscera tendunt.
Ossa dehinc semota cadis, aut littore condunt,
Aut reddunt flammis, cinerique arsura calenti.
Nam si tectivagi Feles, avidique Catelli
Haec rodant, et nulla homines formidine calcent,
Heu quondam speranda suis incendia tectis.
Sed qui sim tandem, ne tu quoque vana sequaris
Incipiam fari, somnumque arcescere dictis.

Haeserat aetherei patris alto in pectore cura
Perdendi genus humanum, longoque parentis
Acta diu Terrae questu, conceperat iram.
Degeneres nanque illa suos immergere natos
Clamat, et ingenti superos clamore fatigat.
Infoelix mater, quam proles ipsa nefandis
Impeteret telis, cui rupto viscere fulvum,
Materiam scelerum tantarum, evelleret aurum.
Tum sua congereret sub nubes ossa, Tonantem
Invasura, Polique audax excindere portas.
His ego terribiles oculis vidi ire Gigantes,
Sanguine gaudentes, coelo capita alta moventes,
Horrisonoque minas superis clamore ferentes:
Tandem sublimes humeris attollere montes,
Et coniuratam coelo submittere Turrim.

Hinc graviter commotus erat, statuitque repente

{page 213} {c. O iii}

Celsitonans secta Navim contexere pinu,
Molirique domum trabibus, quae vecta per undas,
Meque meamque simul prolem, semenque animantum
Aequoreis servaret aquis: fore ventus ut atras
Eliquet in pluvias coelum omne, ruatque fragorem
Undarum ingentem: ruptus quibus undique Nereus,
Fluminaque Scatebraeque, lacusque, et inertia Stagna
Usque adeo insurgant, ut iam maiora sub undas
Culmina descendant, atque ingens Caucasus, atque
Plurimus Atlas, Pyreneque, atque omnium Olympus
Maximus. Huc, ait, huc tendit sententia nostra.
Dudum poenituit me hominum genus istud, avarum,
Crudele, exitiale, ferum, duxisse: luenda est
Tanta quidem labe, quanto circum orbis et infra
Tingitur Oceano, quantis valet imbribus uda
Nimborum facies, et aperti flumina coeli.
His percussus ego, atque mei fortissima pubes
Tres nati, sobolesque horum numerosa, subimus
Iussa dei, primaeque manus advertimus arti.
Sternuntur nobis sylvae, gemit icta securi
Hic Ilex, illic Abies, piceaeque trahuntur
Axe trabes, et durae immani pondere Quercus.
Iamque comas passim fusas in littore tonsa
Robora longa iacent, ubi tela fabrilis nati
Expediunt, positoque levant tibicene Truncos.
Ipsa patent cuneis firmissima corpora duris,
Inque trabes abeunt oblongas, inque recurva
Transtra suburgentur flammis: hic sectilis Alnus
Hic longaeva Larix, proceraque Fraxinus aere
Dentigero stridet serrae, tabulasque ministrat.
Ipse autem interea porrecto in ventre carinam
Littore signabam, ceu tunc fabricator olympi

{page 214} {c. O iii v}

Effigiem, normamque dabat, quando improba necdum
Ambitio tumidis vitas commiserat undis.
Tercentum cubitos ilignam ducere spinam
Caepimus, huic textas amplo curvamine costas
Ordinur, clavisque trabes firmamus ahenis.
Cernere erat ingentem Cratem, seu quale cadaver
Immanis Caeti ad littus proiecerit aequor.
Tum vero, prorae, laterique instamus utrique,

Admotamque cutem duris aptamus acernam
Ossibus, et querno velamus tergore nervos.
Non tamen interea pars deest intenta premendis
Compagum rimis, stuppasque infigere venis.
Pars cava subiectis expumat dolia flammis,
Bullantesque pices adolet, tardosque liquores.
Tecta linunt alii, spondas, fundumque tenaci
Glutine, iamque atro latus omne bitumine nigra* [nigram]
Accipit effigiem, iamque ingens denique moles
lugera multa premens, exurgit plurima, et instar
Montis adit coelum puppimque ad nubila tendit.

Talibus exactis ardentis stuppea circum
Lora damus nodo, manibus commissa trahentum
Frenantumque rotas cupidas decurrere lapsu.
Nutat opus sublime, sonatque ingentibus aether
Vocibus urgentum curvo de littore Navim,
Navim, quae humanae nisi non inventa saluti est.
Extremo tandem gemitu tremit illa, ruitque
Pondere ducta suo, nec iam retinacula curat.
Urbs natat, avulsumque trahens a tergore sulcum
Findit aquas, ripaeque gemunt salientibus undis.
Horruit insolitam molem, tantosque per ausus
Ire homines stupet Oceanus, refugitque superbus
Istud ferre iugum, atque cavo succumbere ligno.

{page 215} {c. O iiiii}

Ast ubi divinum in causa non sensit abesse
Consilium, summittit aquas, et labile fluctus
Inter sternit iter, parendumque esse fatetur:
Ceus princeps una tantum regnator in urbe,
Qui prohibere parat sua per confinia turmas
Ducier instructas, et raptam avertere praedam,
Ut vero id Regem moliri acceperit, ut ve
Maius id esse videt sceptrum, sibi consulit, omnes
Expandens aditus, seque armaque iungit amica.
Tum vero ad ripas iterum conversa recurvo
Constitit illa sinu: mirum, coit undique nobis
Quadrupedumque aviumque genus, dehinc corpore tardo
Reptilia adglomerant, et quidquid mobile vita est.
Tot numero cunctis ex his delecta tenemus
Corpora, seiunctisque locis includimus alvo,
Quot Pater omnipotens servari iusserat ante.
Immanes cernas hic desaevire Leones,
Inque suis tunc sponte pati praesepibus Ursas
Vincula setososque Sues, Taurosque minaces.
Ipsae etiam Tygres, etiam longi Crocodili

Dant colla, et manibus nectentibus oscula figunt.
Quid memorem haud nullis genus immedicabile succis
Aspidas, et tumidos cornuta fronte Cerastes?
Utve sitibundas nunc Dypsadas, utve stupentes
Nunc ego Praesteras tractavi molliter, inque
Scepto* [saepto] quaeque suo tam noxia monstra locavi?
Quae ad victum illis sufficiant diversa repono
Pabula, nosque una conscendimus aequora tandem,
Primus ego, hinc nati, prolesque immensa nepotum,
Matres, atque nurus, foetu pars viscera plenae,
Parsque soporiferis gestantes pignora cunis.
Et iam prima fides terrarum e margine in altum

{page 216} {c. O iiii v}

Advocat omnigenis instructam animalibus Alnum.
Ducimur incerti quo nos adpellere mandet
Aura dei, caecoque oclusi robore nullam
Inspicimus mundi faciem, rerumque colorem.
Vastam namque domum foris ostia clausa, nigrisque
Oblita glutinibus fuscant, tum parva fenestra
(Hanc solam fieri deus alto in culmine iussit)
Ne tenues obstructa quidem dat cernere rimas.
Interea coelum fracto cum murmure circum,
Ac supra mugire, tremiscereque aequora fundo
Audimus: Deus ipse tonat, Deus ipse profundum
Extemplo horribili concussit turbine coelum,
Eripiens cum sole diem: dumque aera densas
Contrahit in nebulas, subigit dumque aethera vastum
In Mare, terribiles picea caligine vultus
Apparent, volitantque atra sub nube vapores.
Ecce Noti erumpunt, crebro polus igne sonantem
Dat tonitrum, fracteque* ruunt ceu flumina nubes.
Magnus ac Oceanus tantarum pressus iniquis
Desuper agminibus pluviarum, deque tumentis
Ad latera excipiens Torrentum gurgite spumas,
Tum altis de venis stygio bullantibus orco
Incrementa trahens, miris exaestuat undis,
Littoreasque tumens paulatim occultat arenas.
Qualis, ubi vires flammae conceperit humor
Aere cavo, sensim primo se murmure tollit,
Inde rapit subitos vulcano urgente tumores
Exiliens, et labra cadi praeterfluit aestu:
Talis inundantis superat liquor undique ponti,
Dumque fremens nova se reddit per* flumina terris,
Vique vias aperit, late bacchatur, et agros
Impete mersat, aquisque petit iuga celsa levatis.

{page 217} {c. O v}

Iamque Mare, et Coelum sese curvamine largo
Componunt, atque unanimes sua faedera [foedera] iungunt.
At scelerata parens Tellus, unaque nepotes
Degeneres, una pecudum genus, atque volucrum,
Haec ea non veniunt in iura, sed acta profundo
Apparent nusquam: coelum omnia, et omnia Pontus.
It pelago spatiosa Ratis, quae sola superstes
Rebus ab infractis animarum semina, et arcto
Reliquias utero servat: iamque ardua subdit
Maiores terrae cumulos contermina Lunae.

Hinc ierant quadraginta dies, totidemque ruentes
In pluviam noctes, quando Patris alta quierunt
pectora, qui* excussos penitus levat aethere fumos,
Et posito mandat placari Nerea fluctu.
Syderei steterunt fontes, mox omne resedit
Murmur aquae, nitidosque aperit coelum undique soles.
Ipse fragor pelagi non nostris auribus ultra
Percipitur, terque intus Avis cristata canebat
Astra serenari, ventosque et nubila solvi.
Tum primum expando turba plaudente fenestram,
Unde salutamus tollentes ora manusque
Redditam Appollinis effigiem, laetosque nitores.
Sistimus hic aram servata ob pignora, dumque
Mysticus efumat prunis candentibus Agnus,
Inter aves Corvum legimus: qui, missus ad auras,
Decrescentis aquae redeat mihi nuncius audax.
Sed quia consumpto iam felle cadavera Pontus
Eructare solet, summasque remittere ad undas,
Ille, avium quo non impurior altera, corpus
Sistit ad immodum, et rostro se pascit adunco.
Quod simulac sensi, volucrem dimitto Columbam:
Illa secans Zephiros, transvecta per aerea, nostro

{page 218} {c. O v}

Conditur aspectu fugiens: quae deinde reversa est,
Oreque vivacis frondem gestabat Olivae.
Pacem, tunc, pacem, viso acclamavimus omnes:
Tum pecora, et volucres pictae, quibus insita mens est
Ore ciere animos, tristesque arcescere curas,
Certatim liquido deducunt gutture cantus:
Indice nam pacis prompsisse cacumina montes
Cognorant, positoque simul cadere aequora vento.
Sed iam praeteritis septem cum sole diebus,

Affuit en sylva, alluvie quae inspersa recenti
Guttas distillat foliis, limoque resident
Obductae frondes, ac tristi humentia squalent
Prata situ, retinentque putres in gramine Conchas.
Huc se sponte freto convertit prora secundo,
Dumque ibat, summas ita vox audita per auras:
Eya agite ó pueri de tot mihi gentibus una,
Una mihi de tot populis lectissima proles,
Solvite sollicitas iamdudum pectore curas:
Non ego (sic nostri sententia numinis haeret)
Ultra hominum, pecudumque simul, simul omne volucrum
Reptiliumque genus tot aquarum strage necabo.
Novi equidem humanos sensus, dum corpore degunt,
Pronos esse malo, posthac clementia culpas
Vincat nostra hominum, ut coeli potiantur honore:
Idque erit immoto nos inter pignore foedus.
Et si quando gravem post imbrem caerula nubes
Fronte cava Soli occursans, simulaverit arcum,
Fingite tunc arcum nostro esse in foedere signum.
Talia finierat, quum tandem substitit Alnus.
Emicat eruptis iuvenum manus impigra valvis
Littus in italicum, proprio qua redditus amni
Tyrrhenum repetit sinuato littore Tybris,

{page 219} {c. O vi}

Tybris romano qui dehinc mundi omnia sceptro
Subderet, et Regum tot signis templa gravaret.
Hic igitur dimissae animae, donatur et omne
Libertate pecus: sua quo sors quemque vocaret,
Illuc e tenebris et longo carcere tendunt,
Seu terrae insistant, seu pennis aera pulsant.
Hic mihi prima stetit foliis et arundine sedes.
Hic primus post fata hominum septem per hetruscos
Haud procul a fluvio colles, sua templa, suasque
Aras constituo detextas fronde Tonanti.
Pinguia mox cannis armenta palustribus armo
Tuta feris, hortoque novas novus insero plantas,
Ipsa racemifero quas inter palmite vitis
Repsit, et expresso fluxerunt musta liquore.
Hinc ergo Assyrii longo post tempore lanum
(lani quippe vocant vinum) me dicere norunt:
Dulcia reppererim qui educere massica botris.
Demoror at forsán te somno pluribus: ipsa
Quandoquidem medio coelo dilapsa ruit nox.
Finierat Senior: famuli tunc plumea iussi
Strata parant, flammisque ferunt sese ante coruscis.

Vix mihi procubuit cervix, tener implicat alte
Membra sopor, cursantque leves in pectore curae.

Telos.

{page 220} {p. O vi v} Tabula

DE PROFUNDIS.

POMILIO. De lege animi. et Membrorum.

POMILIO. de Vita solitudinis, et caenobii, Ultra melior.

POMILIO. de Pulchritudine, cui titulus Avalus.

POMILIONES. Quattuor. Unam esse ad Beatitudinem viam.

POMILIONES. Tres. Non facile credendum esse illis qui novas ostentant religiones.

POLIPUS.

POMILIO. Aliquando desistendum esse ab incaepo quamvis honesto.

POMILIO. Cui Titulus. Remigratio.

POMILIO. Cui Titulus. Massa.

POMILIO. Cui Titulus. Tussicia.

POMILIO. Cui Titulus. Visum superum

POMILIO. Cui Titulus. Visum inferum.

{page 221} {p. O vii} Ioan. Bap. Ad amicos.

Non aegre feratis, o optimi, si in huius Libelli Calcographis solita non erit desyderata dormitatio. Antiqua sane illorum est consuetudo, ut a iustissimis etiam exemplaribus facile dilabantur. Quo circa varia quandoque ut ait Plynius, in redormitione inventa sunt somnia. Vix enim Subnotatos lapsus concitatissimo praelo (praeter absurdas incisions, Diphtongos, atque indecentes in Periodis intercapedines, quas coacti omisimus) suffurati sumus. Caeteri vero vel mediocriter experrectis obvii erunt. Vale.

Errata

In primo Pomilione pro potue, fac legas potuerit. pro controroversiam controversiam. IN. II. pro dles, dies. pro ferventia, frequentia. pro long, longa. pro cum diis, cum deo. IN. IIII. pro atrrita, atrita. pro cannicula, canicula. pro si fieri potest? si fieri potest. IN. VI. pro ilsibatus, illibatus. pro vellis nollis, velis nolis. pro afficiamur, efficiamur, pro sunt nisi fallor, hi sunt nisi fallor. IN. VII. pro còcubium, concubium: pro venenor, veneror. pro tamen discipline, tum disciplinae. pro per odiosa vagor, sed quid per odiosa vagor? IN. VII. pro sumus, fumus. IN. XI. pro an, imo, animo. pro aut recte, certe. pro bona esse existimat. quam bonam esse existimat. IN. XII. pro Agathae villae, villa. IN MASSA. pro mediocricriter, mediocriter. pro pornatur, perornatur. pro Vestigalia, vectigalia. pro extricate, exiricare. IN VISO sup. pro versantur motum, motu. Pro hiare campos, Campi.

{page 222} {p. O vii v}

End page

In Promontorio Minervae ardente Sirio. MDXXXIII.